QUAESTIONES AESCHYLEAE.

PARTICULA I

EUMENIDUM FABULAE QUAE DELPHIS AGUNTUR COMPLECTENS.

SCRIPSIT

AEMILIUS NEIDHARDT.

Beilage

zum

Programm des Kgl. Gymnasiums zu Erfurt.

Erfurt, 1888.

Druck von Fr. Bartholomäus.

1888. Progr. Nr. 217.

881
Aeschyn

QUAESTIONES AESCHYLEAE.

PARTICULA I

EUMENIDUM FABULAE QUAE DELPHIS AGUNTUR COMPLECTENS.

Duo scriptorum genera esse cum nuper alicubi legerim, quorum alteri ad laudem gratiam opes expetendas scribant, alteri quod habeant quae recte doceantur, neutri ordini in conscribenda hac commentatione adnumerari me posse intellexi. At est fortasse tertium et ne illud quidem inutile eorum genus, qui recte quid quaerant. Quodsi cui in hisce audacius quid moliri videar, cum ab usitata aut emendandi aut explicandi Aeschylum ratione latius discesserim, reminiscatur, quaeso, me nihil velle docere — exceptis admodum paucis —, sed quaerere plerumque, num in iis quae adhuc scripta et explicata esse comperi, sit acquiescendum. Nempe quae ad res et sententias recte et, ut in Aeschylo, poetice conformandas pertinent, ea raro certa poterunt evinci demonstratione. Facilius quantam quisque libris fidem habuerit diiudices. Et ego vero, ut ab initio hoc profitear, religiosae illi qua codex Mediceus descriptus est simplicitati plus sermonis vere Aeschylei nos debere, quam concedant plerique, persuasum habeo. Neque tamen hanc sententiam ad explorandas scripturas attuli, sed inter ipsum opus cum miratione aliqua inveni. Usus autem sum inprimis eo libro, quo R. Merkelius quae supersunt Aeschyli in codice Mediceo vel Laurentiano typis describenda curavit Oxoni 1871, adhibitis quas apud Franzium Hermannum Gothanum Dindorfium Kirchhoffium adscriptas vidi notis criticis. Numeros adieci editionis Dindorfianae quintae.

Aeschylus cum Orestiam conscriberet ex iis, quae antiquitus memoriae erant prodita, quin Orestem matre occisa a Furiis vexatum Delphos confugientem proponeret, facere non potuit. Haec enim Orestis fuga diversissimis de eo fabulis tam penitus inhaesit, ut eici non posset: cuius rei exponere causas alienum est a nostro proposito. Quae si non ita fuissent, poetam ultro illam ficturum fuisse vix credo. Nam quod dicit Orestes Choeph. vs. 1038. 39:

οὐδ' ἐφ' ἑστίαν ἄλλην πραπέσθαι Λοξίας ἐφίετο

ex eo praevidisse Apollinem Furias persecuturas esse Orestem ob matricidium apparet: quod si evenisset, eum ad templum suum lustrationibus sanctissimis celeberrimum proficisci iussit. Unde chorus ancillarum recte colligere videtur Orestem ibi expiatum iri. cf. Choeph. vs. 1059. 60:

σώσει καθαρμός· Λοξίας δὲ προσθιγὼν
ἐλεύθερόν σε τῶνδε πημάτων κτίσει.

p24824

At longe fit aliter. Orestes enim cum ad Pythicam dei sedem supplex adierit, benigne quidem recipitur ab eo, sed ut continuo liberetur Furiarum vexatione tantum abest, ut longissimi erroris laborem suscipere, denique Athenis iudicium subire iubeatur. Haec cum in antiqua fabula recte se habeant — non inepte enim ea re significari censeo Orestem atrocius in se admisisse facinus, quam quod usitatis piaculis luatur, — in scaenico poemate minus probari posse videntur. Certe enim Apollo haec non minus bene praeviderat quam illa; itaque nihil obstabat, quin ab initio ut Orestes post matris caedem Athenas se conferret suaderet, neque metuendum erat, ne Orestes, si antea cognovisset labores sustentandos, desisteret a conatu. Non enim dubium, quin ipse summo patris ulciscendi studio incensus fuerit; praeterea, si omitteret hoc officium, acerbissimas poenas denunciatas habebat. Contra Apollo, cum Orestem Delphos invitet, plura polliceri videtur, quam se praestare posse ipse non ignorat: quam simulationem deum minime decere apparet. Atque ne quis dicat Orestem eius lustrationis causa, quam commemorat Eum. vss. 282. 83:

προταίνιον γὰρ ὄν (μίασμα) πρὸς ἑστίᾳ θεοῦ
Φοίβου καθαρμοῖς ἠλάθη χοιροκτόνοις.

Delphos confugere necesse esse. Nam illi *καθαρμοί* quovis alio loco fieri poterant et sunt in Oreste facti pluribus locis. Neque hos versus pro suppositiciis me habere prodere dubito, quod non suo loco sunt inserti. Primum enim, cum Delphis versantem Orestem videmus, de lustratione nihil comperimus. Deinde, id quod maximum est, Minervae illud dicere debebat Orestes, non Furiis vel ipse sibi, quoniam ostendere Minervae se nullo iam piaculo esse contaminatum plurimum eius interest. Tum aptum erat commemorare se in ara Apollinis carissimi Minervae fratris lustratum esse. Sed omnino nihil de tam opportuna re et haec tantum dicit ille:

447. *τεκμήριον δὲ τῶνδέ σοι λέξω μέγα·*
ἄφθογγον εἶναι τὸν παλαιναῖον νόμος,
ἔσθ' ἂν πρὸς ἀνδρὸς αἵματος καθαρσίου
σφαγαὶ καθαιμάξωσι νεοθήλου βοτοῦ.
πάλαι πρὸς ἄλλοις ταῦτ' ἀφιερώμεθα
452. *οἴκοισι καὶ βοτοῖσι καὶ ῥυτοῖς πόροις.*

quibuscum cf. vss.:

238. *ἀλλ' ἀμβλὺν ἤδη προσιετριμμένον τε πρὸς*
239. *ἄλλοισιν οἴκοις καὶ πορεύμασιν βροτῶν.*

Ex his vero, ut sint illi versus *προταίνιον γὰρ ὄν* κ. τ. λ. Aeschyli, atque ut sit lustratio quaedam Orestis Delphis facta, id quod minime equidem nego, poetam ei rei non tantum momenti tribuisse satis apparere censeo, ut ex ea totum illud Delphicum supplicium suspensum faceret[1]). Sed retinuit, quia omittere non debebat. Quae res aliam et maiorem certe difficultatem ei afferebat. Nam quae Delphis facta esse accepit, preces Orestis dico et Furiarum impetus, eadem Athenis primo tempore erant ostendenda, ita ut facile satietatem quandam afferre possent. Quam ut effugeret Aeschylus Furias Delphis primum quidem dormientes et sensim expergiscentes finxit, quae res ipsa gratam aspectus varietatem praebebat. Sed ea non contentus Aeschylus admirabili, quae eius erat, audacia ad inferos descendit ad Clytaemnestrae

1) Hac sententia ut desisterem, neque O. Muellerus neque Mollvous in programmate gymnasii Parchimensis, quod inscripsit 'Darlegung des inneren ganges der Aeschyleischen Orestie. 1862,' persuadere mihi potuerunt.

umbram excitandam. Qua in re, praeterquam quod ipsas Furias aliosque deos in scaenam producere ausus est, summam poetae artem scaenicam agnosco, qua effecit, ut quae necessitate coactus recepit, cum fabulae et rerum ordinem magis impedirent quam promoverent, ex iis evaderet spectaculum, quo grandius atque insignius cogitari nequit.

Quae Delphis aguntur Aeschylus ita disposuit, ut Pythiae sacerdoti ad prooemium recitandum 33 versus attribuat, 30 postquam rediit ex templo ad enarranda ea, quae ibi conspexit: Apollini cum Oreste et Mercurio colloquenti 27, Oresti 3: deinde Clytaemnestrae soli 23, totidem colloquenti quasi cum choro per somnium mussitante (17 + 6). Sequuntur 37 chori versus, in his 34 lyrici[2]). Deinde Apollo habet versus 19. Colloquii autem ab Apolline et choro instituti, quod proximum est, haec est tabula: chori 3, Apollinis et chori singulis versibus invicem respondentium primo 12, Apollinis 12, chori et Apollinis invicem iterum 4, chori 3, Apollinis 3. Unde efficiuntur partes hae:

Pyth. I	Pyth. II	Ap. Or.	Clyt.	Clyt. chor.	chor.	Ap.	Ap. chor.
33	30	30	23	23	37	19	37
	93			46		93	

quarum conspicuam aequabilitatem primo quisque obtutu percipiet. Est autem omnis haec fabulae pars ad eam normam conformata, ut duabus partibus aequalibus contineatur media pars, quae ipsa dimidio fere est illis minor (93 — 46 — 93). Eandem legem in constituenda tertia parte servatam videmus (37 — 19 — 37), cum prima aequaliter fere tripartita, altera et media dimidiata sit. De cantici partitione dicam non opus est. Sed etiam Apollinis et chori colloquium ita est tripartitum, ut post quattuor versus tamquam praeludentes, quibus colloquendi venia petitur et datur, inter ceteros principem et medium locum obtineant duodecim continui versus Apollinis, insignes illi quidem matrimonii sanctitate celebrata, quos et praecedant et sequantur totidem fere concitatioris alterni sermonis (11 et 10) versus grata ordinati varietate ($2 \times 5 + 1 \parallel 12 \parallel 2 \times 2 + 2 \times 3$). Suprema igitur, non una, huius compositionis lex est tripartiendi, cum aequaliter fere in parte prima, cantico, colloquio ultimo, tum ad formam cretici pedis in toto et in parte tertia constituendis. Neque de his partibus quisquam poterit dubitare, quia non arteficiose excogitatae, sed ipsis personarum et scaenae vicibus luce clarius sunt propositae. Et quod lyrici versus inter se et pro trimetris iambicis inaequales idem singuli valere censentur, eius rei haec est ratio, quod eum saltatione ita cantabuntur, ut singuli singulis diversis chori motibus distincti, eum succurrerent oculi spectatorum auribus, ut separatae et ea quidem re aequales sermonis partes perciperentur.

Hinc vero quae sint efficienda paucis ostendere licebit. Et primum quidem neminem esse futurum spero, qui tantam et tam apertam aequabilitatem, quae tamen est cum grata quadam varietate coniuncta, casui cuidam quam poetae consilio et arti tribuere malit. Deinde certo, quando quidem res ita, ut dixi, se habet, eo magis etiam, ne tantam artem aut sepositis ver-

2) Hunc cantici versuum numerum ex computatione Kirchhoffii assumpsi, quia medius est in variis editorum numeris. Et hanc ex nonnullis editionibus descriptam cantici tabulam propono:

$2 \times (6 + 6 + 4) = 32$ Mueller. Franz. Herrmann. Gothan.
$2 \times (6 + 7 + 4) = 34$ Kirchhoff.
$2 \times (6 + 7 + 5) = 36$ Dindorf.

Ceterum ex iis quae supra exposuimus haud quidquam fere mutari, sive 32 cantici versus numerare quis mavult sive 36 pro 34, nemo negabit.

sibus aut lacunis fictis obscuremus vel corrumpamus, erit cavendum[3]). Denique ipsum Aeschylum Clytaemnestrae partibus simile fere momentum, atque nos supra commemoravimus, tribuisse apparet, quoniam principem i. e. medium locum iis concedit et Clytaemnestram plurimos et, cum omitti debeat prae oratione humana chori fremitus, continuos versus recitantem facit. In eandem autem orationem Aeschylum omnem sententiarum atque verborum splendorem contulisse, non ita quidem, ut ceterae partes iis rebus careant, sed ut ceteris praestet illa, equidem persuasum habeo; attamen ea res eiusmodi est, quae sentiri possit, non demonstrari.

De rebus scaenicis nostrae fabulae partis tria potissimum in disceptationem venerunt: quando conspiciantur Furiae, cum Apolline Oreste Mercurio, an cum Clytaemnestra; deinde canticum utrum sit parodus Furiarum necne; denique quando abeant ex templo. Et ad primum illud diiudicandum Hermannus haec adnotavit: 'non solum nulla caussa erat cur nunc Furiae conspicerentur, sed etiam inepte atque importune poeta animos spectatorum novo isto ac terribili adspectu Furiarum avocasset ab audiendo Apollinis et Orestis colloquio'. Propterea colloquium illud ante templum habitum esse statuit et quae ad hunc versum habemus scholiastae verba ad versum 94 transtulit[4]). Ad haec ex iis, quae supra disputavimus, recte responderi posse contendo fuisse causam, cur nunc Furiae conspicerentur, ne animi spectatorum novo isto ac terribili adspectu Furiarum avocarentur ab conspicienda et audienda Clytaemnestra, cui plus certe momenti tribuisse poetam quam Apollinis et Orestis colloquio iam scimus; et melius percipi Clytaemnestrae verba, cum iam assueti sint spectatorum animi Furiarum aspectu. At eiusmodi rationem non principe loco ponam, cum spectatores quantopere novo aspectu occupati sint difficile sit diindicatu, quia hoc et ex histrionum arte operaque et ex eo potissimum pendebat, quo sua quemque ferebat natura. Sed quid ex ipsis rebus sit statuendum rimari oportet. Neque recte Hermannum id inprimis interrogasse censeo, quae sit causa, cur nunc conspiciantur Furiae, sed interrogandum esse, cur exeat Apollo cum reliquis e templo. Nullam equidem video; nam deos in suis domibus supplicibus apparere et colloqui cum iis et usitatum et decorum. Neque vero ne Furiae maturius expergiscantur est metuendum, cum adeo vinctae sint sopore, ut postea plurimis vehementissimisque Clytaemnestrae compellationibus vix excitari possint. Et scire hoc Apollinem apparet, quin etiam ipsum effecisse credibile, cum dicat:

67. *καὶ νῦν ἁλοῦσας τάσδε τὰς μάργους ὁρᾷς*
68. *ὕπνῳ πεσοῦσαι δ' αἱ κατάπτυστοι κόραι.*

Quodsi cum scholiasta colloquium illud Apollinis et Orestis in ipso templo esse institutum obtinemus, ea res afferre certe poterat nonnullis illam, quam Hermannus incusabat incommoditatem; sed habebat etiam eam, et maiorem illam quidem, quam nos proposuimus opportunitatem. Et alias, credo. Omnium enim exspectatio nimis sane tentata et vexata esset, si tam diu de Furiis

---

3) Cum postea singulos e prima et tertia parte versus (88. 188) in suspicionem sim vocaturus, ne quis credat, quaeso, me hoc eo consilio facere, ut accuratissimam partium rationem efficiam (92 — 46 — 92). Nam cum Aeschyli artem ea etiam in re admirer, multum tamen abest, ut minutiarum eum cupidum fuisse existimem. Et eo facilius fides mihi haberi potest, quod versu 88 eiecto primi capitis partiundi aequabilitati noceri aliquid doleo (33—30—29). Suspicionem autem mihi moverunt illi versus multo ante quam numerorum rationem expenderem. Atque ea etiam, quae ad explendam lacunam post versum 50 a viris doctis non sine iusta causa notatam — nisi quod nimis amplam eam finxerunt — conatus sum, ante perspectam illam legem excogitavi.

4) *ἐπιφανεὶς Ἀπόλλων συμβουλεύει Ὀρέστῃ καταλιπεῖν μὲν τὸ μαντεῖον, φυγεῖν δὲ εἰς Ἀθήνας· καὶ δευτέρα δὲ γίνεται φαντασία. στραφέντα γὰρ τὰ μιχανήματα ἔνθηλα ποιεῖ τὰ κατὰ τὸ μαντεῖον ὡς ἔχει. καὶ γίνεται ὄψις τραγική, τὸ μὲν ξίφος ἡμαγμένον ἔτι κατέχων Ὀρέστης, αἱ δὲ κύκλῳ φρουροῦσα αὐτόν.*

alios dicentes audissent neque ipsi vidissent quidquam. Apollinis autem verba inde a versu 67 usque ad versum 73 [5]) nimiam prae se ferrent loquacitatem, nisi coram Furiis fierent; de praesentibus vero non inepte dicuntur, immo ipso earum adspectu quasi eliciuntur. Denique eum rerum ordinem atque id concitationis incrementum hac ratione servabimus, ut Pythia describat Furiarum speciem, cum ipsae non conspiciantur; Apollo de iis coram ipsis dicat; Clytaemnestra alloquatur, postremo colloquatur cum iis. In ea autem, quam ultimam dixi, parte cum respondent tandem dira numina terribili fremitu ad gravia atrocis umbrae incitamenta, totius nostri loci quasi fastigium et summam scaenicam vim posita esse censeo.

De parodo definienda cum inde fere ab Aristotelis temporibus tot et tam docti viri disputaverint neque quod ab omni dubitatione vacuum esse videatur protulerint, equidem quae ex ipsis Aristotelis de ea re verbis, quibus maxima utique auctoritas est tribuenda, excutienda esse censeam, deinde quantum haec ad nostrum canticum valeant, quam brevissime exponam [6]). Aristoteles igitur in capite 12 libri [7]), qui inscribitur *περὶ ποιητικῆς*, haec dicit: 'partes tragoediae .... secundum quantitatem, et in quas dividitur separatas, hae sunt: prologus episodium exodus choricum, et huius quidem aliud parodus aliud stasimum, communia haec quidem omnium, propria autem quae a scaena cantantur et commi'. Facere enim non possum, ut verba illa *κοινὰ μὲν ἁπάντων ταῦτα* ad parodum et stasimum tantum referam, cum, si hoc feceris, *τὰ ἀπὸ σκηνῆς* et *κόμμους* pro partibus *τοῦ χορικοῦ* habeas necesse sit. At neque *τὰ ἀπὸ σκηνῆς* sunt *χορικά*, cum ab histrionibus cantentur, neque, si accuratius distinxeris, *οἱ κόμμοι*, vel non omnes, sed sunt, ut infra legitur, plerumque *κοινοὶ χοροῦ*, *καὶ ἀπὸ σκηνῆς*. Ad *ἁπάντων* autem neque *δραμάτων* adicio, cum de tragoediis solis agatur, neque *χορευτῶν*, sed *τραγῳδοποιῶν*, ad *ταῦτα*:—*μέρη*, idem ad *ἴδια*. Itaque haec philosophum dicere intellego: partes tragoediae .. hae sunt: prologus episodium exodus choricum (i. e. parodus et stasimum), et hae quidem omnium communes; singulares autem, quibus aut non omnes aut non semper utantur poetae tragici: *τὰ ἀπὸ σκηνῆς* et commi. Earum igitur partium, cum non sint necessariae, in proximis, ubi suis quaeque locis collocantur, ratio non habetur. Cum pergat deinde Aristoteles: *ἔστι δὲ πρόλογος κ. τ. λ.*, primum quidem ex his apparet parodum ab Aristotele numerari in *ὅλοις χορικοῖς μέλεσιν*; sin minus, ea tragoediae pars, quae est inter parodum et primum stasimum vel *ὅλον χορικὸν μέλος*, excidisset ei, nisi semper parodus cum alio chori carmine coniuncta esset: quarum rerum neutra potest admitti. At quid est illud *ὅλον μέρος*, et *ὅλον μέλος*, et quidem *ὅλον κατὰ τὸ ποσόν*? nihil aliud, credo, quam 'integrum' vel planius 'continuum', nostrum 'ganz'. Recte igitur prologus episodium exodus continuae tragoediae partes dicuntur, cum chorica per

5) 69. *γραῖαι παλαιαὶ παῖδες, αἷς οὐ μίγνυται*
θεῶν τις οὔτ' ἄνθρωπος οὔτε θὴρ ποτε·
κακῶν δ' ἔκατι κἀγένοντ', ἐπεὶ κακὸν
σκότον νέμονται Τάρταρόν θ' ὑπὸ χθονός,
73. *μισήματ' ἀνδρῶν καὶ θεῶν Ὀλυμπίων.*

6) Hoc satius esse censeo, quam eorum commenta sequi, qui totum illud caput ab Aristotele abiudicant. Ceterum suone loco sit positum, ad nostram quaestionem nihil refert.

7) *μέρη δὲ τραγῳδίας ... κατὰ τὸ ποσόν, καὶ εἰς ἃ διαιρεῖται κεχωρισμένα, τάδε ἐστί. πρόλογος ἐπεισόδιον ἔξοδος χορικόν, καὶ τούτου τὸ μὲν πάροδος τὸ δὲ στάσιμον, κοινὰ μὲν ἁπάντων ταῦτα, ἴδια δὲ τὰ ἀπὸ σκηνῆς καὶ κόμμοι. ἔστι δὲ πρόλογος μὲν μέρος ὅλον τραγῳδίας τὸ πρὸ χοροῦ παρόδου. ἐπεισόδιον δὲ μέρος ὅλον τραγῳδίας τὸ μεταξὺ ὅλων χορικῶν μελῶν. ἔξοδος δὲ μέρος ὅλον τραγῳδίας μεθ' ὃ οὐκ ἔστι χοροῦ μέλος, χορικοῦ δὲ πάροδος μὲν ἡ πρώτη λέξις ὅλου χοροῦ, στάσιμον δὲ μέλος χοροῦ τὸ ἄνευ ἀναπαίστου καὶ τροχαίου, κόμμος δέ θρῆνος κοινὸς χοροῦ καὶ ἀπὸ σκηνῆς.*

totam fabulam sint dispersa et ea ipsa re legitimas tragoediae partitiones efficiant. Est enim tragoedia actio vel imitatio actionis: dividi igitur nequitur nisi eis interpositis partibus, quae actionem non exhibeant. Eius modi autem sunt sola solius chori continua carmina (*ὅλα χορικὰ μέλη*); ea vero, quibus immixti sunt histrionum versus, dialogi potius speciem praebent neque interrumpunt actionem, sed continuant. Hinc alteram etiam habemus rationem, cur Aristoteles choricis, quae sint separatae tragoediae partes, parodum tantum adscripserit et stasimum: omnia alia enim *οὐ διαιρεῖ τὴν τραγῳδίαν* ideoque ipsa non sunt *κεχωρισμένα*.

Quod autem addit Aristoteles *χορικοῦ δὲ πάροδος μέν κ. τ. λ.* diversissimas interpretatorum sententias elicuit, quas longum est enumeratas recensere. Ac primum cur parodum hic non *μέλος* sed *λέξιν* appellaverit, recte Hermannus eum ostendit hanc ob rem fecisse, quia parodus interdum intermixtis anapaestis, qui sine cantu recitabantur, temperata erat, itaque non ubique solo cantu absolvebatur. Neque vero quod supra parodum in continuis chori *μέλεσιν* posuit Aristoteles, in tanta dicendi brevitate est mirum: ibi enim ad stasima potissimum spectat. Praeterea parodus ubique est *ὅλον χορικόν τι*, ubique *μέλη χορικά* continet et saepe, fortasse plerumque, nihil est nisi *ὅλον χορικὸν μέλος*. In ea autem re non assentior Hermanno, quod anapaestos illos parodis immixtos — non de iis dico, qui praecedunt saepe parodos — a solo coryphaeo recitatos esse affirmat; ita enim Aristoteles parodum *λέξιν ὅλον χοροῦ* i. e. sermonem, ut ita dicam, a toto choro simul pronunciatum dicere non poterat. Totum enim chorum una voce parodum cecinisse vel recitasse et ipsa res et Aristotelis verba videntur monere. Nam si parodus *πρώτη ὅλον χοροῦ λέξις* dicitur, eam aliae *χοροῦ λέξεις* praecedere potuerint necesse est, quas non *ὅλος χορός* pronuntiaret. Eiusmodi chorica facile commi illi videantur esse, qui inter chorum et histriones aguntur. At de his ne quis cogitaret Aristoteles in ea quam legimus parodi definitione monere non poterat, neque opus ei erat: non poterat, quia sunt in iis, quae *ὅλος χορός* cantet[8]); non opus erat, quia parodum esse *ὅλον χορικόν τι* iam supra quamvis non expressis verbis dictum erat. Certe si parodum hisce commis opponere voluisset, rectius *μόνον χοροῦ λέξιν*, non *ὅλον* eam dixisset. Sed quae tandem chori carmina Aristotelem in animo habuisse dicamus, cum stasimorum et commorum, qui quidem sint histrionum et chori communes, nulla sit ratio? Nos autem alia omnino non novimus quam ea quae nostrates ferunt *κομματικά*, i. e. carmina, quae a toto quidem choro, sed non ab omnibus una decantabantur. Ea igitur etiam Aristoteli cognita fuisse credibile est, et mirum esset, si plane omisisset in partienda tragoedia; quamobrem in hoc ipso capite commemorari illa opinor et haec verba: *χορικοῦ — κόμμος θρῆνος κοινὸς χοροῦ, καὶ ἀπὸ σκηνῆς* ita interpretor: e choricis — commus lamentatio chori communis, et (interdum) a scaena; et nescio an Bekkerus virgula post *χοροῦ* posita eiusmodi quid significari voluerit. Agit enim Aristoteles inprimis de meris et integris choricis commis; deinde ut omnium commorum definitionem absolvat, addit illud *καὶ ἀπὸ σκηνῆς*, quamvis altera ex parte non sint chorica. Itaque si plenius dixisset, haec eum scripturum fuisse credo: *κοινὸς χοροῦ* [*ἢ κοινὸς χοροῦ*][8b]) *καὶ ἀπὸ σκηνῆς*. Neque mirum videtur Graecos talia carmina, sive a choro solo, sive a choro et histrionibus cantabantur, communi commorum nomine appellasse, cum id, quo ab aliis maxime differunt, utrisque sit commune, scilicet quod singulis vocibus invicem pronuntiabantur. Quae si recte disputavimus verisimile est, quamvis non ex omni parte confirmatum, Aristotelem ideo parodum *ὅλου χοροῦ λέξιν* dixisse, ut ab iis commis vel commaticis, quae sunt communia chori (*θρῆνος κοινὸς χοροῦ*), i. e. quorum

s) Cf. Hermann. ad c. XII. 7. p. 140. s[b]) Excidisse haec verba propter similitudinem priorum haud incredibile.

omnes choreutae sunt participes, sed non una, discerni possent. Hoc vero ut statuam altera etiam ratione adducor. Vidimus enim supra legitimas et manifestas tragoediae partitiones iis chori carminibus fieri, quae omni actionis specie careant, atque ea de causa a parodo secludendos esse commos chori et histrionum communes. At ne commatica quidem multo diversae notae sunt. Nam si carmen ita singulis choreutis distribueris, ut invicem sibi respondeant, idem fere ac proprius commus evadit i. e., ut O. Muelleri verbis utar, dialogus lyricis verbis et metris instructus et auctus.

Itaque ut repetam, quam Aristotelis in definiendis tragoediae partibus rationem fuisse existimem. haec est: una quaeque tragoedia habet prologum episodia exodum parodum stasima, et quidem parodus prologum a primo episodio, stasima episodia inter se et ab exodo seiungunt. Quae praeterea inveniuntur, commi et *τὰ ἀπὸ σκηνῆς*, quia neque necessariae sunt partes neque actionis perpetuitatem adeo perrumpunt, iustam partitionem non efficiunt. Parodus autem est quod primum continuum carmen a toto choro una voce cantatur vel aliquando ex parte quadam recitatur.

De nostro autem carmine nemo fere dubitavit quin sit commaticum; quam ob rem pro parodo non hoc esse habendum existimo sed illud, quod legitur infra inde a versu 321: *μᾶτερ, ἃ μ' ἔτικτες κ. τ. λ.* Quocum congruit, quod parodum semper in orchestra cantatam esse traditum est, cum hic Furiae in templo i. e. in scaena versentur.

Secus docuit Hermannus, qui ad vs. 179[9]) inter alia haec adnotavit: 'Ex templo egressus Apollo increpat Furias, quae ab umbra Clytaemnestrae expergefactae se proripuerant ex templo atque in orchestram descenderant ... neque aut omnes Furias aut partem earum in ipso templo remansisse statuendum : quorum neutrum fieri potuit.' Eam secutus sententiam Wieselerus *κελεύω* mutavit in *κελεύθου*. At rectius et hoc omittemus et illam verborum acerbitatem, qua Hermannus ea in re invectus est in O. Muellerum, Schoemannus in Hermannum, atque iterum, ut ipsas expendamus res, operam dabimus. Furias igitur primum aspici in ipso templo circum Orestem sedentes cum inter omnes — uno excepto Genelli — constet, neque minus ibi eas esse expergefactas, cur non illud etiam fieri potuit, ut in templo carmen canerent? An quia mos erat, ut chorus in orchestra cantaret? Erat sane hic mos, neque mirum, cum plerumque chorus alibi non versaretur nisi in orchestra. Qui si semel in scaena collocatus erat, in scaena etiam cantari haud in magno discrimine est ponendum[10]). Melius etiam hanc rem perspiciemus, si sequemur iam Hermanni sententiam. Fingamus igitur Furias e scaena descendisse et videamus, verbis *ἔξω, κελεύω κ. τ. λ.* omissis, quid e tota Apollinis oratione sit eruendum. Quid igitur agit ille? — Ut Furias ex *περιβόλῳ* templi (sic Hermannus) depellat, et maxima quidem cum vehementia agit, cum, si non celeriter decedant, tela se ab arcu iis iniecturum promittat. Quid igitur Furiae? effugiuntne? Minime, manent. An tela proicit Apollo? Minime, immo luculentis argumentis demonstrat Furias in sanctissimo loco versari non debere. At nunc tandem abeunt illae? Minime, immo altercationem incipere audent. Itaque Apollo fervida sane et scaenica oratione in Furias invectus nec hilum effecit: id quod vix homine, nedum deo dignum esse unusquisque sentiet. Neque igitur dubito, quin Furiae in templo remanserint ibique carmen

9) 179. *ἔξω, κελεύω, τῶνδε δωμάτων τάχος*
180. *χωρεῖτ', ἀπαλλάσσεσθε μαντικῶν μύχων.*

10) Quod nonnulli monuerunt Furias hic nondum esse vere chorum, sed actorum potius partes agere, haec ratio, si accurate reputaveris, ad totam fabulam pertinet sicut in Supplicibus.

cantaverint atque minis demum Apollinis inde expellantur. Ita autem reliqua quoque eius verba recte se habent; conviciis enim abeuntes persequi non ineptum. Neque vero totam orationem in eo absolvi credo, sed eam fere partem, quae usque ad vs. 192[11]) continuatur. Ipse enim Apollo, si quid video, Furias abeuntes sequitur in proscaenium, dum illae in orchestram descendunt et ex adverso consistunt. Iam cum contra intuetur, quas a tergo potissimum adhuc conspexit, et foeda ora percipit, pergit hisce verbis: *πᾶς δ' ὑφηγεῖται κ. τ. λ.* Neque *πλησίοισι* (193) vocabulum, quo potissimum Hermannus ad suam sententiam est adductus, nunc offendit, quoniam Furiae in orchestra, et ipse Apollo ante fores templi stat. Quod autem addit deus *χωρεῖτ' ἄνευ βοτῆρος* (196), hoc de futuro Furiarum itinere dicit neque tam graviter fert eas in *περιβόλῳ* versantes, ut non breviter colloquendi copiam iis faciat.

Restat ut de eorum sententia paucis disseram, qui partem quandam Furiarum inter ipsas cantiones in orchestram descendisse statuunt, partem alteram remansisse, ut habeat Apollo, quas expellat. Quibus ne assentiar hac ratione impedior. Exeundi e templo iniussu Apollinis Furiis alia causa esse non poterat, quam ut persequerentur Orestem. Quam venationem quin iterum sint susceptarae quamquam non est dubium, statim eas proficisci minime credibile. Hoc enim fieri nullo pacto poterat nisi cum aliqua cohortatione aut voluntatis professione, ut infra pluribus locis[12]). Totum autem chori carmen eiusmodi sententiae nullum omnino vestigium exhibet, sed nil nisi decrescentis paullatim tumultus et irae descriptionem, ita ut tertiae partis versus pro ceteris sint sedatissimi. Quin etiam adeo non properato opus est Furiis, ut postea sua sponte colloquium haud ita breve instituant cum Apolline. Quod si Furias commorantes in templo facio, donec eiciuntur ab Apolline, tum ex orchestra cum eo altercantes, ostendendum est a me satis longum tempus iis esse descendendi et consistendi, dum Apollo loquitur. Ac primum quod supra auguratus sum Apollinis verba: *πᾶς δ' ὑφηγεῖται τρόπος μορφῆς* elicita quasi esse aspectu Furiarum adverso, ad hoc satis est unam iam i. e. coryphaeam pervenisse in orchestram et suo loco constitisse, cum ceterae deinceps subsequantur. Praecedunt autem illa verba versus 13 aut — mea voluntate — 12; quos si pro *ἐμβατηρίοις* tamquam ducemus, 36 Romanorum passus aut 60 fere nostratium metra efficiemus, quae quis eo temporis spatio solito incessu percurrat. Et hoc satis esse superque, ut e proscaenio per scalas hyposcaenii in orchestram ad thymelen pervenias, confido. Eo magis Furias, quas concitato cursu fugere est consentaneum, illud iter posse conficere credemus. Abeunt autem inde per orchestrae exodum (i. e. parodum a spectatoribus sinistram), postquam dixit coryphaea: *ἐγὼ δ' .. μέτειμι τόνδε φῶτα*, ut postea redeant per parodum. Sequuntur tres Apollinis versus, qui postquam ipse abiit, vertuntur periactae, scaenae fit mutatio, prodit Orestes.

Iam vero priusquam accedam ad alterum propositum, ut locis nonnullis, quibus opus esse visum est, criticam et explanandi interdum operam navem, sententiam proferam spectantem quidem ad rationem criticam, quae ne vix cuiquam placeat vereor. Attamen est dicenda. Nam

---

11) 192. ..... *πᾶς δ' ὑφηγεῖται τρόπος*
μορφῆς. λέοντος ἄντρον αἱματορρόφου
οἰκεῖν τοιαύτας εἰκός, οὐ χρηστηρίοις
ἐν τοῖσδε πλησίοισι τρίβεσθαι μύσος.
196. *χωρεῖτ' ἄνευ βοτῆρος αἰπολούμενα.*

12) 230. 31. *ἐγὼ δ' .. μέτειμι τόνδε φῶτα.*
245. *ἔπου δὲ μηνυτῆρος ἀφθέγκτου φραδαῖς.*
255. *ὅρα ὅρα μάλ' αὖ λεῦσσέ τε πάντα.*

quod fabulam nostram incipere tradunt a magna sollemnitate et gravitate, hoc de rebus scaenicis recte dici, ad Pythiae orationem minus valere censeo. Neque vero tam res ipsas, quas dicit Pythia, quam sonum totius orationis et stilum specto. Videor enim mihi audire anum probam et honestam et sapientem satis, sed anili infirmitati et loquacitati obnoxiam quodammodo. Quae cum in his versibus:

37. *τρέχω δὲ χερσὶν, οὐ ποδωκείᾳ σκελῶν*
38. *δείσασα γὰρ γραῦς οὐδὲν, ἀντίπαις μὲν οὖν.*
44. *λήνει μεγίστῳ σωφρόνως ἐστεμμένον,*
45. *ἀργῆτι μαλλῷ· τῇδε γὰρ τρανῶς ἐρῶ.*

facile deprehendas, pluribus etiam locis inesse contendo[13]) atque omnem eius sermonem, ne dicam humilem, haud ita sublimem esse et grandem. Et consulto hoc fecisse Aeschylum credo, quippe qui remissione quadam animi interdum opus esse spectatoribus non minus recte sciret quam divus Homerus, cum Thersitae turpitudinem ridiculam proponeret auditoribus. Neque nostro loco hoc inepte fieri apparet, cum post Choëphoron fabulae dira facinora et terribilem exitum instent spectacula atrocissima et maxime *ψυχαγωγικά*. Similem rationem in quibusdam nuntiorum sermonibus apud Sophoclem animadverti posse opinor, recentioribus, inprimis Shakespearo, usitatissimam esse omnes sciunt. Et cum veteres poetae in ludis potissimum satyricis hoc peregerint opus, interdum alibi etiam, praesertim in ea trilogiae compositione, qua Aeschyli Orestia est conscripta, ea res opportuna esse videri poterat. Quam apud Aeschylum certis sane et angustis finibus contineri cum minime equidem negem neque aut scholiastae adnotationi ad versum 37 spectanti *ἕξεισι τεταραγμένη τειραιτοδηδὸν ἐκ τοῦ νεώ* ullam fidem esse habendam censeam aut ipse simile quid commutanda scriptura in textum inferre ausim, idem facere non possum, ut aut cum editore Gothano nescio quid sublime et insigne inferam nostro loco aut cum Kirchhoffio versum 45 pro spurio habeam. Aliter enim loquitur Pythia, aliter Apollo, aliter ceteri pro sua quisque natura et indole.

Sed iam transeundum ad singulos versus, quos e Merkelii libro, quem supra laudavi, in proximis describam.

3. *ἦ δὴ τὸ μητρὸσ δευτέρα τόδ' ἕζετο*
4. *μαντεῖον, ὥσ λόγοσ τισ*

Editor Gothanus cum voces *τὸ μητρός* supervacaneas esse et obscurare notionem *δευτέρα* putaret, maluit scribi *τόμουρος*, vocabulum repetitum ex Lycophrone, quod ab Hesychio sic explicatur: *τόμουροι· προφῆται . ἱερεῖς . οἰωνοσκόποι . διάκονοι.* Unde Schultzius[14]) colligit, quia sacerdotes et augures atque etiam aeditui ita appellentur, non potuisse hoc vocabulo deam significari. At haec non recte. Eodem enim vocabulo et summum et infimum eiusdem generis ordinem significari usitatissimum. Itaque siquidem *τόμουρος* est *προφήτης*, Themis non minus apte ita appellari poterat, quam de Apolline vocabulum *προφήτης* usurpatur[15]), quamvis plerique eius aetatis prophetae merito essent magno in contemptu. Sed si qua est offensio in his verbis, eam in uno articulo *τό* positam agnosco, qui, cum sequatur *μητρός*, ad *μαντεῖον* respicere videtur

13) Ut vs. 24. *Βρόμιος ἔχει τὸν χῶρον, οὐδ' ἀμνημονῶ,*
ἐξ οὗτε Βάκχας ἐστρατήγησεν θεὸς,
λαγὼ δίκην Πενθεῖ καταρράψας μόρον.

14) In progr. gymn. Regiomont. Neomarch. 1873.

15) Eum. 19. *Διὸς προφήτης δ' ἐστὶ Λοξίας πατρός.*

neque prae proximis *δευτέρα τόδε* cum illo coniungi potest. Neque enim, si cum Schultzio *τό* ita explicaveris, ut sit 'ergo' 'igitur', sententiae satisfacere poteris. Leniorem autem huic loco medelam afferri posse quam Gothani arbitror scribendo : *ἦ δῆτα κ. τ. λ. δῆτα* enim nihil est aliud quam *δή* auctum aliquanto neque raro post pronomen relativum apud Aeschylum invenitur[16]). Respicere autem hic videtur ut ipsum *δή* ad sequentia *ὡς λόγος τις*. *Λ* litteram in *Ο* conversam habet codex M. in Agamemnonis versu 123[17]).

7. *δίδωσιν δ' ἦ*. Plerique editores *δίδωσι δ' ἦ*, Hermannus et Gothanus *δίδωσιν ἦ*, quod magis placet. Certius autem alterum illud, et quia Aeschyleo sermoni usitatum, et quod unde *Λ* littera sit illata nescimus, cum *δίδωσιν* pro *δίδωσι* a librario rei metricae minus perito facile scribi potuerit.

10. *κέλσασ' ἐπ' ἀκτὰσ ναυτόρουσ τὰσ Παλλάδοσ.*

Schultzius cum legerit apud Euripidem *ναυτόρῳ πλάτῃ* (Troad. 877), *ἀκτὰς ναυτόρους* ita explicat, ut sint 'Minervae littora naves moventia vel emittentia'. Qua in re neque Euripidis verba ille recte intellexisse et nostro loco parum aptam sententiam attulisse videtur. *ναυτόρῳ πλάτῃ* enim sicut *πλάτας ναυσιπόρους* (Iph. Aul. 172) Euripidis plane dicuntur de navibus vectis obscurata prioris vocis propria significatione, ut saepe fit in vocabulis compositis[18]). Aeschyli autem *ἀκταὶ ναύποροι* sunt orae navigabiles, navibus frequentatae.

11. *Παρνησοῦσθ' ἕδρας*. Alterum *σ* a suo loco aberrasse apparet. Recte igitur Hermannus et Gothanus scripserunt *Παρνησσοῦ*, quae est propria huius nominis scriptura[19]).

18. *ἕξει τέταρτον τόνδε μάντιν ἐν χρόνοισ.*

Χρόνοις, quod plerique editores cum Turnebo mutarunt in *θρόνοις* — id ipsum quidem aptissimum — retinuit Gothanus, et recte, opinor, cum pro 'denique' accipi possit. Est enim Apollo ultimus sedis Pythicae possessor.

21. *Παλλὰσ προναία δ' ἐν λόγοισ πρεσβεύεται.*

Hermanno magis placuit *προνάα δ' εὐλόγως*, quod recepit in textum. Recte Dindorfius monet[20]) *λόγοις* oppositum esse *εὐχαῖς* versus proximi (20). Itaque neque Hermanni coniectura neque Schultzii explicatio traditae scripturae 'cum iusta quadam ratione' probari potest.

33. *μαντεύομαι γὰρ ὥσ ἂν ἡγῆται θεόσ.*

Optime Kirchhoffius *μαντεύσομαι*, quod et sententiae magis convenit neque quidquam habet violenti conatus[21]).

36. *ὥσ μήτε σωκεῖν μήτε μ' ἀκταίνειν στάσιν.*

Secunda manu superscriptum est *βάσιν*, quod receperunt plerique. Ceterum Hermannus etiam *στάσιν* probari posse dicit explicans 'non erecta stare possum', sed praestare videri *βάσιν*. Praestat enim, opinor, quod magis accommodatur ad proxima *τρέχω δὲ χερσίν*. Minime autem Schultzio licebat vocabulum *στάσιν* ita tutari et obtrudere quasi nobis, ut *σωκεῖν* mutaret in *βάσκειν*. Persuasum enim ei est *σωκεῖν* alienum esse hoc loco, neque quod apud Sophoclem

16) Eum. 399. *ἦν δῆτ' Ἀχαιῶν ἄκτορές τε καὶ πρόμοι*. Cf. Dind. lex. Aesch. s. h. v.

17) Codex M. *λογοδαίτας*, recentiores omnes *λαγοδαίτας*.

18) Cf. Dettweiler in progr. gymn. Giessen. 1881/82.

19) Cf. Choeph. vs. 563. *Παρνησσίδα* codex. Sic etiam Kirchhoff.

20) In lexic. Aeschyl. p. 199.

21) Sic. Sept. vs. 406 in *μαντεύσεται* littera *σ* postmodum est inserta.

id vocabulum eadem valendi notione usurpatum exstat[22]) ei sufficit; pendere enim apud illum a verbo *σωζεῖν* infinitivum. Quae quo iure ille ratiocinatus sit, non intellego. Sed video Aeschylum haud raro ita dicentem, ut notioni generali vel ampliori praemissae adiungat specialem vel concretam, qua re et copiam et perspicuitatem illustrem affert sententiae. Et est poetae haec dicendi ratio, cum altera illa, quae converso utitur ordine, philosophum deceat. Nostrum igitur versum sic esse intellegendum puto, ac si scripsisset Aeschylus: *ὡς ἀσθενεῖν με μηδέ μ' ἀκραίνειν βάσιν*: 'ut sim invalida neque pedes tollere possim'.

40. *ὁρῶ δ' ἑτ' ὀμφαλῷ μὲν ἄνδρα θεομυσῆ*
ἕδραν ἔχοντι προστρόπαιον αἵματι
στάζοντα χεῖρας καὶ νεοσπαδὲς ξίφος
43. *ἔχοντ' ἐλαίας θ' ὑψιγέννητον κλάδον.*

Plerique editores scripserunt *θεομυσῆ* — *ἔχοντα* — *ἐλάας*. Et de forma *ἐλαίας* infra disseram. De reliquis contendere ausim habere explicationem etiam quae propius ad scripturam codicis accedunt: *ὁρῶ* — *ἄνδρα θεομυσεῖ*[23]), *ἕδραν ἔχοντι προστρόπαιον, αἵματι στάζοντα κ. τ. λ.*: 'video virum' piaculoso[24]), qui occupat sedem supplicem, sanguine stillantem' cett., quae probabiliora esse videbuntur, si veterum recitandi et declamandi artem haud facile vero maiorem existimari posse recordabimur. Magis etiam placerent haec, si scriberemus *βρέχοντι* pro *ἔχοντι*. Haec autem affero, non quo rectum me iam repperisse confidam, sed ut locum illum nondum tam expeditum esse ostendam, quam quis ex recentiorum consensu credat. Et mihi quidem persuasum est duo illa l in *θεομυσῆι* et *ἔχοντι* accuratiorem exposcere emendandi rationem, quam ut tollatur utrumque.

44. *λήνει μεγίστῳ σωφρόνως ἐστεμμένον.*

Hermanni coniecturam *μεγιστοσωφρόνως*, quam mirum in modum laudat Gothanus, neglexerunt Dindorfius et Kirchhoffius, refutat prudenter Nastus[25]).

48. *οὗτοι γυναῖκας, ἀλλὰ Γοργόνας λέγω,*
οὐδ' αὖτε Γοργείοισιν εἰκάσω τύποις.
εἶδόν ποτ' ἤδη Φινέως γεγραμμένας
δεῖπνον φερούσας· ἀπτέροι γε μὴν ἰδεῖν
52. *αὗται, μέλαιναι δ' ἐς τὸ πᾶν βδελύκτροποι.*

Desiderari in his versibus Harpyiarum nomen iam pridem est monitum. Quamquam enim adhuc nemo doctus non intellexit, quae sint *Φινέως γεγραμμέναι δεῖπνον φέρουσαι*, talis dicendi ratio mythographum quendam decere potest, scaenicum poetam minime. Et ne quis ad Pythiae ineptias eam esse referendam opinetur. Est enim, ut plura interdum illa dicat necessariis:

22) Soph. El. vs. 119. *μοῦνη γὰρ ἄγειν οὐκ ἔτι σωκῶ λύπης ἀντίρροπον ἄχθος.*

23) Cf. Prom. 387. *σαφῶς μ' ἐς οἶκον σὸς λόγος στέλλει πάλιν*, ubi Kirchhoffius adnotavit: *στέλλει* M. sec. Merkelium ante correcturam, ut videtur.

24) Hoc vocabulum brevitatis causa a piaculo derivatum usurpasse ignosci mihi posse spero, quod 'piacularis' in malam partem non accipitur.

25) In progr. gymn. Gumbinn. 1882: „Es ist aber zu einer Änderung nicht der geringste Grund. Denn abgesehen von der seltenen Art der Zusammensetzung, die *μεγιστοσωφρόνως* aufweist, und die die Hermannsche Konjektur bedenklich macht, scheint mir *μέγιστος* auch dem Sinn nach mehr zu *λήνει* zu gehören als zu *σωφρόνως*: *μεγίστῳ* paßt als Beiwort bei der Länge der vittae recht gut, was hat es aber für einen Zweck die Bekränzung des Orest sehr verständig zu nennen?"

omittere eam, quae sunt necessaria, non est credibile. Et miror O. Muellerum, ut nomine Harpyiarum non opus esse comprobaret, attulisse ex Euripidis Ione locum quendam[26]), ex quo contrarium discere debebat. Ibi enim Minervae nomen re vera dicitur, neque quidquam differt, utro ab hemichorio pronuncietur. Nam Euripides, cum alterum hemichorium fingere posset intellegere ex ambagibus alterius, quamnam diceret deam, tamen spectatoribus quid deberetur non ignorans, quamquam ii etiam deorum signa conspiciebant, addidit continuo Minervae nomen in responso. Et si quis id nomen hac ratione gravius exprimi dicat, non adverser. Hiare igitur in nostro loco orationem statuerunt multi, et Dindorfius duos versus esse contaminatos ratus reliquias eorum sic disposuit: *εἶδόν ποτ' ἤδη . . . . ‖ γεγραμμένας . . . . Φινέως ‖ δεῖπνον φερούσας.* Et recte quidem ille fecit, quod *Φινέως* nomen quam proxime ad *δεῖπνον* collocavit. Ceterum aliam coniciendi rationem esse infundam credo, qua ad minus latas dubitationes compellamur. Quodsi *Φινέως* nomen voce *γεγραμμένας* interiecta suo loco depulsum videmus, ea ipsa vox suspicionem movet, sitne glossemate illata. Certe si Pythia diceret: 'vidi Harpyias Phinei cenam auferentes', nihil desideraretur, velut si quis diceret: 'vidi Agamemnonem mactantem Iphigeniam', aut similia sexcenta. Non enim est, ut remotum aliquem aut temporis aut loci spatio videamus rem gerentem nisi imagine vel alio artificio repraesentatum[27]). Itaque quibuscunque persuasum est Harpyiarum nomen necessarium, *γεγραμμένας* supervacaneum esse, illud nomen intra *εἶδον* et *Φινέως* esse reponendum concedent. Neque minus constat *Ἁρπυίας* vocem alia sede non posse collocari quam in altero et tertio trimetri pede. Incipientibus igitur nobis: *εἶδόν ποτ' Ἁρπυίας*, syllaba brevis supplenda et *ἤδη* e nota quinti pedis lege dirimendum est sic:

εἶδόν ποτ' Ἁρπυίας ⏑ η δὴ Φινέως

Sed hoc etiam scribi posse videtur, praeter *μέν* una lineola traditis litteris adiecta,

εἶδον μὲν Ἁρπυίας ποτῇ[28]) *δὴ Φινέως*
δεῖπνον φερούσας

'vidi Harpyias volatu quidem Phinei cenam auferentes', ut cum nomine Harpyiarum ea simul res significetur, qua maxime ab Aeschyli Furiis differunt, et recte opponatur: *ἄπτεροί γε μὴν ἰδεῖν αὗται.*

Pauca huic rei addam. Et primum quidem Phinei cenae ab Harpyiis ablatae duae imagines a veteribus sunt commemoratae, una in cista Cypseli, quam signis partim e ligno cedri sculptis partim ex auro et ebore tessellatim fabricatis ornatam fuisse Pausanias est auctor[29]); altera in sella Apollinis Amyclaei[30]), qui thronus eodem operum genere atque cista illa, non

---

26) Eur. Ion. 209. chor. A. *λεύσσεις οὖν ἐπ' Ἐγχελάδῳ*
γοργῶπιν πάλλουσαν ἴτυν;
211. chor. B. *λεύσσω Παλλάδ' ἐμὰν θεόν.*

27) Simili ratione nos etiam dicimus: 'ich sah die Zerstörung Jerusalems' vel 'eine heilige Nacht, eine Auferweckung Lazari, eine Kreuzigung, Grablegung, Auferstehung Christi'.

28) Legitur hoc vocabulum Odyss. ε. 337 *αἰθυίῃ δ' ἐικυῖα ποτῇ ἀνεδύσετο λίμνης.* Neque hunc versum antiquitus esse suspectum ad nostram causam quidquam refert. Aristonicus enim, quod adiecit *'οὐκ ἐφέρετο ἐν τοῖς πλείοσιν'* (Ameis-Hentze. Anh. 128. 29), ea ipsa re testificatur illum, qui versus in omnibus nostris libris manuscriptis exstat, fuisse omnibus temporibus in libris Homericis, fuisse ideo vocabulum *ποτῇ*, fuisse dativum *ποτῇ*, adverbii loco, ut videtur, usurpatum. Neque Aristarchus eum emendare aspernatus est scribendo *ὑπεδύσατο.*

29) Paus. 5, 17, 4. *Φινεύς τε ὁ Θρᾷξ ἐστι, καὶ οἱ παῖδες οἱ Βορέου τὰς Ἁρπυίας ἀπ' αὐτοῦ διώκουσιν.*

30) Paus. 3, 18, 9. *Κάλαϊς δὲ καὶ Ζήτης τὰς Ἁρπυίας Φινέως ἀπελαύνουσιν.*

picturis, instructus erat. Ceterum pictas etiam Harpyiarum tabulas fuisse, quamquam non est traditum, haud facile quisquam negabit; pictas certe eas in patera quadam Aeginetica conspicimus[31]). At ne illud quidem incredibile Atheniensibus — qui ubi Harpyias videre potuerint reputare magis etiam interest ad cognoscendam hanc quaestionem quam ubi Pythia — et Harpyiarum speciem et Phinei cenam abreptam in ludo quodam satyrico aut comoedia spectatam fuisse: magna enim in his rebus et figuris est vis comica. Tum, quomodo *γεγραμμένας* glossemate in textum illatum esse fingamus, facile est intellectu: illud enim e lectoris cuiusdam docti notula ortum, qui, quod verum esse poterat, ne quis de ipsis Harpyiis cogitaret, aut ut rem explanaret, caute sûpra adscripsit, a librario indocto facile pro correcto haberi, postmodum ad metrum elegantius conformandum proximi versus nulla ratione habita in extremo versu reponi potuit: cuius rei hanc propono tabulam numeris subscriptis quae hodie leguntur significantem:

εἶδον	*γεγραμμένας μὲν ἁρπυίας*	*τοτ*	*ἦ δὴ*	*φινέως*
	4	1	2	3

Attamen conatum meum ut pro vero venditem multum abest: sed lacunam illam ad unius syllabae spatium redegisse non inutile videbitur.

52. *ῥέγκουσι δ' οὐ πλαστοῖσι φυσιάμασιν*

Verba *οὐ πλαστοῖσι φυσιάμασιν* Hermannus parum apte explicat: 'non fictis flatibus': melius Nastus: 'unmoduliert, rauh'. Sed hoc nihil habet, quod sit commemoratione dignum, quia aeque valet ad omnes qui stertunt. Rectius igitur plerique editores scripserunt *οὐ πλατοῖσι* 'quibus periculosum est appropinquare', prudenter respicientes ad vs. 139[32]). Et cum litteram *σ* servari malim transponendo, facile conicio fuisse ab Aeschylo scriptum:

ῥέγκουσι δυσπλάτοισι φυσιάμασιν

quod eandem praebet sententiam elegantius paulo expressam. Cui emendationi neque metrica ratio obstat[33]) neque *δέ* omissum[34]); et eam exhibet illa scripturam, e qua codicis verba nullo molimine effici potuerint. Similem autem sonum vocum *δυσπλάτοισι — δυσφιλῆ* (52. 53) fastidire Germanorum fortasse est, certe non Graecorum. Sic infra legimus *κακῶν — κακόν* (71), *πόνου — πόνος* (132. 33), *δαΐου δαμίου* (160), *μεταίτιος — παναίτιος* (199. 200).

53. *ἐκ δ' ὀμμάτων λείβουσι δυσφιλῆ δία.*

Primum apparet hunc versum ad singula fere verba esse descriptum ex Choeph. vs. 1058 *κἀξ ὀμμάτων στάζουσιν αἷμα δυσφιλές*, quapropter in emendanda voce *δία* quam proxime ad *αἷμα* accedere recte studebimus. Cui rei neque Burghesii coniectura *λίβα* neque Wieseleri et Gothani *δίαν* plane satisfacere videntur; praeterea illi obstat quod ea accusativi forma vocabuli *λιβάς* nusquam invenitur[35]); huic, quod *δία* vox omnino non exstat scripta nisi in Hesychii glossa:

31) Roscher, Lex. d. gr. u. r. Mythol. p. 1843/44. Arch. Ztg. 1882. Tb. 9.

32) *ἀτμῷ καπνιζόμενα, νηδύος πυρί.*

33) Sept. 19. *ἐθρέψατ' οἰκήτῆρας ἀσπιδηφόρους.*

34) Similiter atque hic ad *μέλαιναι δ' ἐς τὸ πᾶν βδελύκτροποι* adiungi *ἀσυνδέτως* volo *ῥέγκουσι δυσπλ.*, supra petrae Coryciae commemorationem (22. 23) excipiunt *ἀσυνδέτως*: *Βρόμιος ἔχει τὸν χῶρον* (24).

35) Cf. Schultz. l. l. p. 9. Apud Aeschylum leguntur a vocabulo *λίψ* derivatae hae formae: Choeph. 292. *φιλοσπόνδου λιβός.* Fr. 52. *Διὸς σωτῆρος εὐκταίαν λίβα*, utraque de libatione dicta; neque tertia, quae exstat in fragmento corrupto 68. *ἀφθονέστερα λίβα*, aliter usurpata esse videtur.

δύαν: κρήνην. Et si verum est, quod dicit Gothanus, codicem in extremis versibus pro *N* littera lineolam superne adicere solere, sufficiat haec lineola ad traditas litteras adiecta ordine mutato scribentibus:

δυσφιλῆ δάϊν.

Nullus enim dubito, quin ΔΑΙC — de quo nihil habemus nisi δαΐ et δάϊν — sicut Latinorum caedes, cui est simillimum, et Graecorum φόνος usitata translatione dici potuerit pro sanguine effuso. Utitur autem hac voce, quae est imprimis Homeri, etiam Aeschylus[36]).

67. καὶ νῦν ἁλούσασ τάσδε τὰσ μάργουσ ὁρᾷσ
ὕπνῳ· πεσοῦσαι δ' αἱ κατάπτυστοι κόραι,
γραῖαι παλαιαὶ παῖδεσ, αἷσ οὐ μίγνυται
70. θεῶν τισ οὔτ' ἄνθρωποσ οὔτε θὴρ ποτε.

In his versibus primum cum codice post ὕπνῳ interpungi malim quam post ὁρᾷς, quod haec verba πεσοῦσαι κ. τ. λ. triumphantis quasi sunt dei, quibus rectius nulla adiciatur determinatio. Et participii usus simillimus est in Choeph. vss. 1042. 43. Eum. 144[37]), nisi quod his locis exclamationem doloris plenam legimus. Deinde haec γραῖαι παλαιαὶ offensionem quandam habent, neque Schultzio concedam illa epitheta satis esse diversa, ut coniuncta possint poni. Nonnulli igitur scripserunt Γαίας παλαιαὶ παῖδες, quod Furiae etiam Terrae filiae dicantur. Hoc autem nihil est nisi notula doctrinae plena, cuius Apollini nullus usus, qui id potissimum agit, ut Furias quam maxime detestabiles proponat. Alii paulo melius Νυκτὸς παλαιαὶ παῖδες, quamquam non omnes Noctis liberi sunt deformes. At horribile quiddam inest, et ipsae Furiae hoc nomine gloriantur[38]). Minime autem comprobari potest, qua ratione Dindorfius γραῖαι pro Νυκτός scribi potuisse studet ostendere. Dicit enim γραῖαι ex glossemate illatum inutili nomen expulisse necessarium. Inutile sane hoc glossema, immo incredibile. Nam cum γραῖαι explicasse aliquem superscripto παλαιαί credi possit quodammodo, conversae rationis nulla est fides. Aliam igitur Kirchhoffius ingressus viam suspicatur scriptum fuisse γραῖαι πάλαι κἄπταιδες, in textum non recepit. Et recte hoc quidem. Eiusmodi enim emendatio, ut omittam languidum illud πάλαι, ea de causa recipi non posse videtur, quod proxima verba αἷς οὐ μίγνυται ut ea ratione dicta intellegamus cogimur, quam, etiamsi haud ita absona sit a petulanti quo in Furias utitur Apollo sermone, mutando tradita verba Aeschylo obtrudere non licet. Sed quae ambigue dixit, ambigua maneant necesse est, sive fortuito sive consulto ita dixit. Et hoc quidem efficitur ea emendatione, quam nunc proponam una littera ne mutata quidem sed transposita, ut scribatur:

ἄγριαι παλαιαὶ παῖδες.

Cuius vocabuli vis, quae est 'ferox, crudelis', quam apta sit nostro loco non opus est pluribus ostendam. Et est illa Aeschyli et variam primae syllabae mensuram e metri necessitate vel commoditate versus ab eo usurpatam exhibet. Neque vero de anapaesti in prima trimetri sede usu dubitari potest[39]), et respondet ἄγριαι legi Hermannianae, ut ne sola positione sit anapaestus.

36) Sept. 925. 26. ξένων τε πάντων στίχας πολυφθόρους ἐν δαΐ.

37) Choeph. ἐγὼ δ' ἀλήτης τῆσδε γῆς ἀπόξενος
ζῶν καὶ τεθνηκὼς τάσδε κλῃδόνας λιπών.
Eum. ἦ πολλὰ δὴ παθοῦσα καὶ μάτην ἐγώ.

38) 322 ὦ μᾶτερ Νύξ. cf. 416. 745. 792. 845. 1034.

39) Eius anapaesti hos notavi locos omissis nominibus propriis: Prom. 6. 64. 353. 366. 368. 721. 722. 796. 994. Sept. 268. 471? 495? 1010. Pers. 184. 343. 808? Agam 28. 30. 337. 504. 509. 595. 1257. Choeph. 275.

75. ἐλῶσι γάρ σε καὶ δι᾽ ἠπείρου μακρᾶς
βεβῶντ᾽ ἂν αἰεὶ τὴν πλανοστιβῆ χθόνα
77. ὑπέρ τε πόντου καὶ περιρρύτας πόλεις.

Altius corruptelae genus in horum versuum altero latet, quem Dindorfius tanto habet in contemptu, ut non modo uncis includat, sed etiam omnium ludibrio proponat[40]), qua re neminem prudentem deterreri posse spero, quominus infelici illi versui quam maximam possit opem ferat. βεβῶντ᾽ igitur et ipsum nihil est neque *N* littera sublata, ut plerique scripserunt, aptam praebet sententiam, cum nemo possit ostendere, quae sit hic perfecti ratio. Accedit, quod βέβηκα haud raro contrariam prorsus necessariae notionem habet, ut sit 'constiti, consto'. Rectius igitur Hermannus edidit βιβῶντ᾽ derivatum a βιβᾶν, cui adscripsit 'non obstat quod βιβᾶν in iis quas habemus tragicorum fabulis non invenitur. Utitur eo verbo praeter epicos Pindarus'. At quae praeterea mutavit Hermannus, cum pro ἂν αἰεὶ scriberet ἀν᾽ ἀεί, neque omnem tollunt dubitationem neque ut placeat sententia efficiunt. Est enim etiam in voce αἰεί offensio, quam ut levarent alii scripserunt ἀλατεί, ἀνατεί, ἀνατεί; quae commenta attulisse satis erit. Primum autem βεβῶντ᾽ fortius nobis tentandum est, quam ab Hermannno factum est. Suspicari igitur liceat profectum illud esse ex περῶντ᾽, quamvis dissimile ei primo quidem adspectu esse videatur. At quod litterae maiusculae B et P sunt inter se similes, cum semel librarii errore πεβῶντ᾽ pro περῶντ᾽ scriptum erat, facile fieri potuit, ut postea ab alio ad similitudinem quandam Graecae vocis redigeretur scribendo βεβῶντ᾽. Deinde litterae αν αιει sic legantur suadeo, ut sint ᾶ ναίει. Restat igitur, ut de neglecta in voce περῶντ᾽ aspiratione quid censeam declarem. Et opportune accidit, quod infra vs. 271. codex M. et omnes apographi exhibent ἔχοντ᾽ ἕκαστον, ad quae liber Farnesianus adicit: Ἰωνικόν. Scimus autem Aeschylum multas usurpasse Ionicas voces et formas, quae postea sunt deletae. Sed reliquiae quaedam, ut fit fere in eiusmodi rebus, remanserunt, quarum numero ut hoc ἔχοντ᾽ ἕκαστον et illud ἐλαίας (v. 43) — quae est media forma inter Ionum ἐλαίη et Atticorum ἐλάα — sic nostrum περῶντ᾽ ᾶ adscribere non dubitaverim. Neque hanc scripturam attulisse aliquid ad corrumpendum nostrum locum veri est dissimile. Alia eius rei exempla infra videbimus. Iam vero, si legimus:

περῶντ᾽ ᾶ ναίει τὴν πλανοστιβῆ χθόνα

sic explicandum esse videtur: 'agitabunt enim te et per continentem latam, permeantem quae habitant terram (scil. continentem) vago pede peragratam, et super mare atque (per) urbes insulares'. Aeschylum autem ᾶ ναίει scripsisse credo, ut una notione et homines et hominum domicilia complectatur, quasi dixerit 'permeantem cultas continentis regiones, quascunque exul vagus adit', atque opponat ea oppidis insularibus. Non enim per deserta et inculta loca errandum erat Oresti, id quod et ipsa res suadet et supra audivimus ab ipso. At ne quid omisisse videar, hoc addam, utramque vocem, περᾶν et ναίειν, Aeschylo esse usitatam et coniuncta etiam exstare apud eum ναίειν χθόνα[41]). Proximo denique versu codicis πόντιον cum plerisque editoribus in πόντον mutandum esse puto, quod minoris est negotii quam Wieseleri ὑπέρ τε πόντου κατὰ περιρρύτας πόλεις.

Eumen. 92. 474. 577. In Suppl. nullum repperi. Ubi signum interrogationis posui, de synizesi etiam cogitari potest (πόλεως). De varia ante mutam et liquidam apud Aeschylum quantitate cf. etiam adnot. 56.

40) praef. p. CXI. κνώδαλα πτεροῦντα καὶ πεδοστιβῆ,
βεβῶτ᾽ ἂν᾽ ἀεὶ τὴν πλανοστιβῆ χθόνα.

41) Sept. 731. χθόνα ναίειν διαπλάς.

88. *μέμνησο, μὴ φόβοσ σε νικάτω φρένασ.*

Postquam Kirchhoffius tres Orestis versus *ἄναξ Ἄπολλον κ. τ. λ.* ante Apollinis orationem esse reponendos censuit, id quod neminem editorum antea fecisse diu miratus sum, de ea ipsa sententia nihil dicam, quia in earum numero habeo, quae simulac prolatae sunt, omnes adprobabunt. Apollinis autem versus *μέμνησο κ. τ. λ.*, quamquam coniungi potest cum proximis *κἀκεῖ δικασταὶς κ. τ. λ.*, ut sententiae ita se excipiant 'Athenis iudices huius causae et remedia tuorum laborum inveniemus . hunc erroris finem respice et collige animum', ceterorum demum ordine perturbato illatus esse videtur, cum Apollinis responsum *σὺ δ' αὐτάδελφον αἷμα* parum quadraret ad Orestis preces. Admodum enim formulas quasdam sapit neque is est, quem non quivis tragici sermonis vel paululum peritus homo componere potuerit, adhibito fortasse versu 133: *μή σε νικάτω πόνος*. Neque necessarius est, cum antea iam (78. 79) dictum sit *καὶ μὴ πρόκαμνε τόνδε βουκολούμενος πόνον*. Itaque si Pythiae esset ille, non adversarer; Apollini haud facile attribuam.

90. *κάρτα δ' ὧν ἐτώνυμοσ*
πομπαῖοσ ἴσθι τόνδε ποιμαίνων ἐμὸν
ἱκέτην. σέβει τοι Ζεὺς τόδ' ἐκ νόμων σέβασ
93. *ὁρμώμενον βροτοῖσιν εὐπόμπῳ τύχῃ.*

De his primum moneam, cum *ἴσθι* utrumque esse possit: et 'esto' et 'scito', praestare alteram significationem, quam secundo loco posuimus. Deinde verba *σέβει τοι Ζεὺς τόδ' ἐκ νόμων σέβας* permultas experta sunt editorum et sententias et emendationes, quarum etiam praestantiores recensere supersedeo, quia ipse nihil probabile inveni neque comparandi facultas erit. Tria autem intellegi possunt dicta in illis *τόδ' ἐκ νόμων σέβας*, ut sint aut ipse Orestes aut munus tuendi Orestem aut universum comitatus munus. Quarum rerum nullam satis aperte significatam esse ipsa illa interpretandi varietas docet. Itaque aliud quiddam latere in his verbis *τόδ' ἐκ νόμων* suspicor, quae sonum magis Graecum referre quam notionem recte expressam videntur continere. Ea igitur ut investigetur suadeo. Exempli autem instar proferre liceat, quae mihi in mentem venerunt. Exstat quaedam Hesychii glossa[42]) *δεγμόν : ὁδόν*. Cui si fides haberi possit, non multum laboris fuisse censeas, praesertim Aeschylo, alterum componere vocabulum: *δεγμονόμος* ut *ἀγορανόμος* et alia, quod eum significaret, cui cura viarum publicarum esset delata. Fingentibus igitur nobis scriptum olim fuisse *σέβει τοι Ζεὺς τὸ δεγμονόμων* (vel *δεγμονόμον*) *σέβας*, omnia recte procedent: 'veretur profecto Iuppiter viarum curatorum (vel curae) dignitatem accedentem hominibus felici comitatu'. Quae verba imprimis de Mercurio dicta essent intellegenda; sed maiorem etiam haberent vim, si Athenis viarum publica cura penes Areopagum fuisset, cui celebrando tantam operam in Eumenidibus navat Aeschylus. Sed de his rebus nihil scimus, nisi quod curam aliquam fuisse viarum[43]) atque Areopagum nonnullis negotiis functum esse traditur[44]), quae mirum quantum ab reliquo eius munere distant. Et nescio an illa viarum cura et migrantium tutela cum religionum et sacrorum et morum

42) Hesych. lexic. edit. min.² M. Schmidt. 1867. p. 376.

43) Cf. Schoemann. Gr. Alterth. II. S. 23. E. Curtius. Zur Geschichte des Wegebaues bei den Gr. S. 248. ff.

44) Schoemann I. S. 515. „Auch allerlei andere Geschäfte wurden ihm anvertraut und Gutachten von ihm eingeholt, die mit seiner eigentlichen Bestimmung in keinem ersichtlichen Zusammenhange standen. Aeschin. in Timarch. c. 34. *Τῆς γὰρ βουλῆς τῆς ἐν Ἀρείῳ πάγῳ πρόσοδον ποιουμένης πρὸς τὸν δῆμον κατὰ τὸ ψήφισμα τὸ τούτου, ὃ οὗτος εἰρήκει περὶ τῶν οἰκήσεων τῶν ἐν τῇ Ὑλικῇ κ. τ. λ.*

regimine, quod erat Areopagi, arctius cohaereat quam aedificiorum quorundam custodia. Ut autem omnia absolvam, quomodo quae leguntur fieri potuerint ex iis quae proposui demonstrabo. Scribenda igitur illa olim erant *ΤΟΔΕΓΝΟΜΟΝΟΜΟΝ*, in quibus notavi pares syllabas, e quibus alterutra facile poterat excidere. Ut prior exciderit, reliquum erat *ΤΟΔΕΓΝΟΜΟΝ*, unde evasit *τοδεγνομων*, quod corrigendum sibi aliquis putabat scribendo *τόδ' ἐκ νόμων*. Postremo ad metricam mei versus rationem illustrandam adscribo Eum. vs. 474: *ἱκέτις πρυσῆλθες καθαρὸς ἀβλαβὴς δόμοις*, in quo praeter eundem in prima sede anapaestum solutum tertium pedem legimus sicut quartum equidem solvi. De quantitate primae ficti vocabuli syllabae videas quae ad *ἄγριαι* vocem adscripsi et Prom. vs. 5: *ὑφηλοκρήμνοις τὸν λεωργὸν ὀχμάσαι*. Sed iam missa faciamus haec, quibus si quae meliora et certiora potissimum inventa erunt, maxime gaudebo.

96. . . . . *ὡς μὲν ἔκτανον*
97. *ὄνειδος ἐν φθιτοῖσιν οὐκ ἐκλείπεται.*

Locus memorabilis et inprimis aptissimus ad inconstantiam artis criticae demonstrandam. Nam cum apud Hermannum adnotata ad eum inveniamus: 'rectissime Tyrwhittus et Wakefieldius *ὧν* . sic legit scholiastes, male intellegens: adnotavit enim haec[45]). Hoc dicit . . "me . . non deserunt opprobria eorum quos occidi" Agamemnonis', Gothanus dicit 'videtur ita legisse scholiasta . verum non puto nec structurae enunciati salutare . *κτείνειν* absolute est Choeph. 876. Eum. 414'. Schultzius de coniectura Tyrwhitti: 'quae quomodo e scholiastae verbis eruatur quamquam non video — nam apud scholiastam *ὧν* est genus neutrum, apud poetam masculinum — tamen per se satis est probabilis.' Kirchhoffius Tyrwhitti coniecturam subscripsit, de scholiasta nihil iam dicit. Et recte hoc fecit, et Schultzius recte vidit scholiastae *ὑπὲρ ὧν* idem esse atque *ὑπὲρ τούτων ὅτι*, non *οὑς*, i. e. circumlocutionem particulae *ὡς*. Aliter enim scholiastam facere non potuisse existimandum est, quin adderet *λείπει ἡ ὑπέρ*. Neque vero cum Schultzio et Kirchhoffio probabilem esse Tyrwhitti coniecturam censeo. Et id quidem Gothanus recte, *ἔκτανον* absolute esse dictum. Ceterum quamnam habeat vim ad constituendam totam periodum non intellexit. Hoc cum iam ab O. Muellero propositum sit, quod a recentioribus non satis consideratum video, iterum et accuratius demonstrare conabor[46]).

45) *ὑπὲρ ὧν ἐφόνευσα Ἀγαμέμνονα ἀπώσασθε. καὶ οἱ ἐμὲ φονεύσαντες οὐκ ἀτιμάζονται.*

46) Clytaemnestrae orationis partem priorem sic esse disponendam existimo:

Thema probandum: *ἐγὼ δ' ὑφ' ὑμῶν ὧδ' ἀπητιμασμένη ἄλλοισιν ἐν νεκροῖσιν*

Expositio: A. I. *ὡς μὲν ἔκτανον* (= *κτανοῦσα μέν*)

II. a 1. *ὄνειδος ἐν φθιτοῖσιν οὐκ ἐκλείπεται,* (= *ὀνειδιζομένη οὐκ ἐκλείπω*) — α_1
II. a 2. *αἰσχρῶς δ' ἀλῶμαι,* — β
II. b *προὐννέπω δ' ὑμῖν ὅτι ἔχω μεγίστην αἰτίαν κείνων ὕπο* — α_2

B. I. *παθοῦσα δ'* (= *ὡς δ' ἔπαθον*) *οὕτω δεινὰ πρὸς τῶν φιλτάτων,* — γ_1

II. *οὐδεὶς ὑπέρ μου δαιμόνων μηνίεται,* (= *τιμωρίας οὐ τυγχάνω παρ' οὐδενὸς δαιμόνων*) — δ

II. *κατασφαγείσης πρὸς χερῶν μητροκτόνων* — γ_2

comprehenduntur a 1 et 2

Cuius compositionis logica ratio litteris Latinis et numeris, rhetorica Graecis litteris est indicata. Et de logica dicam nihil opus est; rhetoricae haec est lex, ut bis ternis versibus quod utrimque est medium binis simillimis partibus contineatur. Atque is fluctuans quasi sententiarum ordo aptissime eam animi condicionem describit, qua Clytaemnestra utitur, quae ad unum idemque semper recurrit. Augetur autem sermonis vis et vigor, quod, cum logica et rhetorica arte optime ille sit instructus, grammaticae accurata responsio, quam verbis uncis inclusis equidem significavi, consulto, ut videtur, est neglecta, ut vivae vocis potius speciem referat.

103. ὅρα δὲ πλιγὰς τάσδε καρδίαι σέθεν·
εἴδουσα γὰρ φρὴν ὄμμασι λαμπρύνεται·
105. ἐν ἡμέραι δὲ μοῖρα τρόσκοποσ βροτῶν.

Manifesta huius scripturae vitia — ὄμμασι — μοῖρα τρόσκοπος iam veteres editores ita correxerunt, ut, si cetera recte se habent, corrigi debent: — ὄμμασιν — μοῖρ' ἀτρόσκοπος. Sed in καρδίαι *I* finale utrum scripserit prima manus an addiderit secunda dubium est. Et Hermannus iecto illo *I* elegantissima coniectura effecit καρδίας ὅθεν, quia 'ad ὅρα plane inutiliter καρδίᾳ σέθεν additum esset, praesertim quum σέθεν prorsus supervacaneum sit'. Quas rationes quamquam maxime comprobo, neque minus quae Hermannus ad refutanda O. Muelleri adversaria protulit[47]), tamen ut recipiam eius coniecturam persuadere mihi non potui. Illud enim, a quo vulnera sint illata, conspici non potest, cum abierit Orestes. Nihil autem dubito, quin haec verba φρὴν ὄμμασιν λαμπρύνεται, de ipsis oculis vel de acie oculorum sint dicta, quibus etiamsi conniventibus mens in somno aliquando clarioribus etiam utatur quam interdiu; sequitur, ut ὅρα eadem ratione dictum sit accipiendum. Itaque ut statim quae scripta olim fuisse existimo edam, ut in Agamemnone fabula leguntur haec regis morientis verba: ὤμοι, πέπληγμαι καιρίαν πληγὴν ἔσω (1343), sic Clytaemnestram hic dicere credo:

ὅρα δὲ πλιγὰς τάσδε καρδίας ἔσω

Haec quam apta sint sententiae, quod atrocitatem rei augent[48]), quantoque magis poetice dicta quam languida illa codicis καρδίᾳ σέθεν, unus quisque facillime intelleget, neque lectores Graeci sermonis peritos de structura verborum ὅρα — καρδίας ἔσω moneam opus est. Corruptelam autem σέθεν profluxisse puto ex σέο, hoc ex ἔσω[49]).

Proximos duos versus, cum multis et doctis viris iam pridem suspecti fuerint, nuper etiam Kirchhoffius ab hoc loco alienos esse iudicavit. Attamen priorem certe integre servandum esse censeo; de altero postea videbimus. Tota enim Clytaemnestrae oratio eum in eo nitatur, quod Furiae verba eius percipientes finguntur vel percipere posse, illud novum, quod ut aspiciant vulnera admonentur, excusare quasi apud illas atque spectatores Clytaemnestra debet, ideoque dicit εἴδουσα γὰρ κ. τ. λ. Sic interdum vel unum verbum quo iure usurpatum sit explicatur enunciato per particulam γάρ adiuncto, ut in Agam. (1225. 26): τῷ μολόντι δεσπότῃ ἐμῷ· φέρειν γὰρ χρὴ τὸ δούλιον ζυγόν, ubi egregie Cassandram apud ipsam excusantem facit Aeschylus, quod ingenua potentissimi regis filia de domino loquatur[50]). Ipsa autem sententia quin totius antiquitatis quasi dogma fuerit, non esse dubium ex iis locis facile colligas, quos Stanleius diligentissime attulit ex Platonis Aristotelis Aeliani Ciceronis libris. Et ipsi Clytaemnestrae, quamvis audacter olim senibus Argivis respondisset: οἱ δόξαν ἂν λάβοιμι βριζούσης φρενός (Ag. 275), ut in somnis imminens periculum videret, interdiu non agnosceret, acciderat.

47) O. Muellerus Hermanni coniecturae opposuerat vs. 592 λέξω· ξιφουλκῷ χειρὶ πρὸς δέρην τεμών. Ad quae Hermannus 'Quasi tam anxie haec rimanda essent, aut quasi nemo gladio supernе iugulo alicuius defixo cor percutere possit'.

48) Similiter infra Aeschylus (156—58) ἔτυψεν δίκαν διφρηλάτου μεσολαβεῖ κέντρῳ ὑπὸ φρένας ὑπὸ λόβον.

49) 'Historiam pathologicam', quam nostrates nominant, huius loci accuratius sic describam: ut scriptum fuerit καρδιασεσο, altero σ omisso vel obliterato — nam in extremis potissimum versibus lituras factas esse compertum habemus —, evasit καρδιασεο, inde καρδία σέο; ex σέο, quod corrigendum esse videbatur, factum est σέθεν postremo *I* ad καρδία allatum.

50) Cf. Oedip. Col. 109. 110. οἰκτείρατ' ἀνδρὸς οὐδὲν τοῦδ' ἄθλιον
εἴδωλον· οὐ γὰρ δὴ τόδ' ἀρχαῖον δέμας.

Eandem rationem valere aliquid ad comprobandam proximi versus *ἐν ἡμέρᾳ δέ κ. τ. λ.* miram sententiam haud abnuerim, quod spectatores etiam eius rei recordari poterant. Attamen est in ea, quo recte offendaris. Ambigua enim est et nimis lata: nam multa interdiu praevidentur, cum ea, quae ratione exsequi possunt homines, tum quae vaticinantur. Nonne ipsa Clytaemnestra audiverat Cassandram vera vaticinantem? Itaque nihil amplius recte dicere poterat, quam se ipsam talia esse expertam. Et quod maximum est: quid haec ad rem i. e. ad Furias excitandas? Neque vero Hermanni coniectura scribentis *μοῖρ' ἀπρόσκοπος φρενῶν* 'interdiu vero non est animi sors ut longe videat' illa offensione liberanur, id quod Schoemannus quidem, qui sequitur Hermanni sententiam, ipse concedit. Itaque desperandum esse de nostro versu videtur, nisi aliud auxilium inveniatur. Reminiscamur autem, quae recte Clytaemnestram dicturam fuisse supra commemoravimus. Quid igitur, si Aeschylus ipsa illa eam dicentem fecisset? Codicis enim verba sine ulla mutatione sic etiam legi posse contendo:

ἐν ἡμέρᾳ δέ μοί ῥ' ἀπρόσκοπος βρότων.

ut sententiae ita se excipiant 'aspice haec vulnera corde infixa: potes enim, nam dormitans anima claro oculorum lumine utitur, cum interdiu mihi improvida esset caedium'. Haec postrema autem acerbissimi doloris recenti memoria Clytaemnestram adiecisse puto, et cum hoc facit, idem maxime dicit ad rem, ad Furias excitandas, nam de caede sua loquitur: ut hic eundem sententiarum ordinem observemus, de quo supra diximus (adnot. 46). Neque multum abesse videtur, quin Clytaemnestra Furiis crimini vertat, quod interfici sita sit ab iis, cum pergat: *ἦ πολλὰ μὲν δὴ τῶν ἐμῶν ἐλείξατε κ. τ. λ.* Haec enim sacrificia a Clytaemnestra ad avertendam Furiarum iram post mariti caedem potissimum facta esse recte Schuetzius docuit, quamquam de aliis quoque cogitari potest.

Restat igitur ut de vocabulis *ῥά* et *βρότων* quae necessaria videntur addam. Quae quod sunt Homerica, eo magis Aeschylo placere potuisse consentaneum, quippe qui tantum studium in Homeri carminibus posuerit.[51]) Et particulae *ῥά* Dindorfius docet[52]) unum esse Aeschyli exemplum Pers. 683: *ἦ ῥ' ἀΐει μου — βασιλείς*; tria Sophoclis. Sed ex eo numero certi quid concludi posse ad universum eius vocis apud poetas tragicos usum prae tanta superstitum fabularum paucitate non credo. Ceterum quamvis gaudeam uno illo *ῥά* Aeschyleo, tamen, etiamsi deesset, scripturam supra commendatam proponere minime dubitarem, neque qua ratione id facere veter scio. Aliud enim est mutando novi aliquid inferre in textum, aliud in traditis litteris agnoscere eiusmodi vocabulum; dummodo sententiae sit aptum. Et nostro quidem loco de opportunitate particulae *ῥά* nemo dubitare poterit, cum sit explicanda 'ut apparet, ut constat', hic 'ut nostis'. Eas autem rationes item valere ad vocem *βρότων* censeo, atque sicut *φόνος* pro cruore ita conversa translatione *βρότος* pro caede potuisse usurpari. Atque idem vocabulum in composito quodam Aeschyleo inesse videtur, quod exstat infra (499): *οὐδὲ γὰρ βροτοσκότων μιαιάδων τῶνδ' ἐφέρτει κότος τις ἐργμάτων. βροτοσκότος* enim quod ita explicatur et convertitur, ut sit 'homines observans' 'menschenhüter', eam notionem intellego, quae nimis aliena sit a Furiarum numine. Quae quamquam illustrare student, quantum damnum res humanae sint contracturae, si ipsae contemnantur, multum tamen abest, ut hominum salutis causa se laborem ferre simulent; immo suum ius volunt exsequi. Itaque *βροτοσκότος* non 'homines observans' sed 'caedem observans' esse existimo.

51) Bernhardy, Grundriss[3] II, 2, p. 256.

52) Lexic. Aeschyl. p. 320.

119. *φίλοισ γάρ εἰσιν οὐκ ἐμοῖσ προσίκτορεσ.*

Ad haec Hermannus 'horum verborum quae prolatae sunt explicationes, ipsis Graecis verbis obscuriores sunt'. Ipse postremo edidit: *φίλοις γάρ εἰσιν, οὐκ ἐμοί, προσίκτορες* 'cognatis enim meis, non mihi, sunt ad quorum praesidium confugiant'. Aliorum commenta afferendi nullus est usus. Sed cum omnis sententiae vis in *φίλος* et *προσίκτωρ* sit posita, quid de his sit statuendum eruere utilius erit.

Negat autem Schoemannus *φίλος* de sola propinquitate et, ut ita dicam, *ἄνευ πάθους* dici posse, verum ubicunque non bonum et benevolum animum significet, inesse aliquam simultatis notionem modo apertam modo occultam, quo magis illustretur, quantum distet is animus ab eo, qui esse debeat.[53]) Quae illum non dicturum fuisse credo, si Choeph. vs. 109—115. satis bene considerasset. Ibi enim post chori monitum: *φθέγγον χέουσα σεμνὰ τοῖσιν εὐφροσιν*, Electra pergit interrogando: *τίνας δὲ τούτους τῶν φίλων προσεννέπω;* ad quae chorus: *πρῶτον μὲν αὐτὴν χὥστις Αἴγισθον στυγεῖ*, i. e. Electram et chorum ipsum. Nam postquam iterum interrogavit Electra: *ἐμοί τε καὶ σοί τἄρ' ἐπεύξωμαι τάδε;* ancillae prudenter neque negantes neque affirmantes respondent: *αὐτὴ σὺ ταῦτα μανθάνουσ' ἤδη φράσαι*. Pergit iam Electra bene intellegens: *τίν' οὖν ἔτ' ἄλλον τῆδε προσπτύξῃ στάσει;* Et chorus: *μέμνησ' Ὀρέστου, κεἰ θυραῖός ἐσθ' ὅμωσ.* Sunt igitur *εὔφρονες* Electra ancillae Orestes, iidemque *τῶν φίλων;* ideo non omnes *φίλοι* sint *εὔφρονες*, sed alii *ἐχθροί* necesse est; et sunt hi Clytaemnestra et Aegisthus, quorum hunc quidem ipse chorus nominat. Denique totam Pelopidarum familiam una cum servis, et amicos Electrae et inimicos, *τοῖς φίλοις* adscriptam esse videmus. Iam vero hoc loco Schoemanni interpretationem admitti non posse apparet. Nullo enim pacto fieri potest, ut idem vocabulum et eos, qui vere sunt amici, et eos, qui debent esse, sed sunt inimici, una significet vel ut una unius vocis pronunciatione et acerbitatis et caritatis sonus simul referatur. Itaque Aeschylum vocem *φίλων* hic *ἄνευ πάθους* ad significandos eos, qui aut sanguinis aut iuris necessitudine quadam inter se sint coniuncti, usurpasse demonstratum est. Unde quae cum ad universum eius vocabuli usum tum ad Homericum effici possint disserere alii loco reservandum est.[54]) Aeschylus autem quod semel tam aperte fecit, saepius facere potuit, et hoc quidem recte vidit Hermannus. Nostrine loci eadem sit ratio, reliquae est disquisitionis, quae de *προσίκτωρ* instituenda est

Hermanni autem interpretandi ratio, ut *προσίκτωρ* eum significet, ad quem quis confugit, ea primum laborat importunitate, quod ita etiam Clytaemnestra habet *προσίκτορας*, nisi *προσίκτωρ* is solus dicitur, qui supplices tuto praesidio recipit. Quod si demonstrari nequit, Aeschylus parum accurate dixisse videtur. Accedit quod num nudum *προσίκτωρ* nomen tutorem possit significare maxime est dubium. Immo ne illa *Ζεὺς προστρόπαιος, ἀφίκτωρ* vel similia, quae laudat Hermannus, e similitudine locutionis Sophocleae *Ζεὺς ξύναιμος* (Antig. 659) vel aliorum *Ζεὺς γεωργός* i. e. *Ζεὺς τῶν ξυναίμων, γεωργῶν* sint dicta vereor. Utcunque autem ea res se habet, vere criticae artis non esse censeo tam incerta ratione innixum commutare tradita verba: sed,

53) Quos Schoemannus locos affert Eum. 100. 335. Choeph. 232. Sept. 954. Eur. Andr. 176. Soph. El. 516 non adversari prorsus eius interpretationi consentaneum, neque Frankium in progr. gymnas. Liegnitz. 1875 eorum partem quandam retractare opus erat nullis suis rationibus confirmatam. Demonstratum ab iis nihil est. Et de Eum. vs. 100 equidem aliter statuerim.

54) Rusticos nostros adhuc vocem 'freundschaft' eadem vi usurpare, quam habet saepius in Bibliis Lutheri, ut sit propinquitas vel affinitas, praetereundo monere non alienum esse videtur.

siquidem sunt mutanda, a certa vocis προσίκτορος significatione esse proficiscendum. Quod si statuimus, nostri loci princeps vitium latere in ἐμοῖς apparet. Scribendum igitur esse censeo:

φίλοι γάρ εἰσιν οὐ κενοὶ προσίκτορες

'cognati enim non sunt irriti supplices', i. e. preces eorum audiuntur, cum me nemo audiat. Aptissime haec dicere Clytaemnestram nemo non videt. Et similem sane notionem κενός habet in Aeschyli frgm. 239: οὕπω τις Ἀχαιῶν ἄθηρος ἡμέρα ‖ κενόν, πονοῦ πλουτοῦντ', ἔπεμψεν ἐς δόμους. *N* litteram autem conversam in *M* exhibet codex Choeph. 53. (δεσποτῶμ pro δεσποτῶν); 791 (μιν pro νιν). Quodsi librarii errore ex οὐ κενοί semel factum erat οὐκ ἐμοί, hoc paene necessario traxit per vim oppositionis φίλοις, idque male intellectum ἐμοῖς. Ceterum φίλοι emendati versus utrum pro cognatis accipiantur an pro amicis haud quidquam interest ad sententiam.

137. οὐδ' αἱματηρὸν πνεῦμ' ἐπουρίσασα τῶι
ἀτμῶι κατισχαίνουσα νηδύος πυρί·
139. ἔπου μάραινε δευτέροισ διώγμασιν.

κατισχαίνουσα rectius cum Robortello mutetur in κατισχναίνουσα, praestetne servari illud dubito, cum nondum satis compertum habeam, quo iure critici omnes verbi Attici ἰσχαίνω reliquias deleverint. Deinde editores οὐδ' corruptum esse rati scripserunt Pearsonius σὺ δ', Weckleinius σοῦ δ', Kirchhoffius εὖ δ', e quibus maxime mihi placet σὺ δ', quod apte opponitur proximis τοῖς σώφροσιν; necessarium nullum esse puto, sed eos versus (137. 138) per interrogationem posse pronuntiari. Aeschylum enim ad describendos vehementes animi motus solo participio saepius usum esse supra vidimus (cf. ad vs. 68). Quamquam laudatis locis subiectum est additum, deesse potuit, ubicunque de subiecto dubitandi non est locus. Item, qui cum Kirchhoffio legunt εὖ, subiecti significationem suspensam habeant necesse est, dum audiunt ἔπου. Eodem beneficio equidem utar.[55]) Nota autem est aoristi vis in interrogationibus incipientibus a τί οὐ, impatientiae scilicet et imperandi. Neque hanc vim in pronomine τί positam esse, sed in tempore et negatione apparet. Itaque οὐδ' αἱματηρὸν πνεῦμ' ἐπουρίσασα; ita intellegi posse spero, ut sit 'neque iam dudum sanguineum spiritum afflavisti?' i. e. cito affla! Haec omnia autem summa festinatione atque impetu pronunciata audire mihi videor. Denique qua Hermannus laborabat offensione, qui 'τῷ de Oreste intellectum, sic in fine versus, praesertim sequente alio dativo, ἀτμῷ, prorsus putidum' esse censuit, quamquam haud ita est magna, inesse eam non negaverim. Quam ut effugeret ille scripsit τῷδ', contempta quam ipse invenerat lege, ne quis ante Sophoclem vocales in fine versus abici credat, mutato versuum ordine, ut τῷδ' exciperet ἔπου. E quibus nihil recte fecisse videtur. Ὅδε enim de praesentibus dicitur, et versus ἔπου, μάραινε δευτέροις διώγμασιν confertis imperativis insignis ipsi orationis clausulae multo magis convenit quam proximus ἀτμῷ κ. τ. λ. Equidem cum neque dici necesse esse censeam, cui affleat spiritum Furiae, neque τῷ aut τῷδ' multum nos iuvari ad eam rem cognoscendam, hos duos versus sic constituam:

οὐδ' αἱματηρὸν πνεῦμ' ἐπουρίσασ' ἀτμῷ,
ἄτῳ κατισχναίνουσα νηδύος πυρί;

'neque iam dudum sanguineum spiritum afflavisti halitu, insatiabili contorrens intestinorum

55) Similis in nostro sermone est infinitivi usus. Cf. Vernaleken, Deutsche Syntax II, 517. „Fragen und ausrufe infinitivisch: Mir vorschreiben, wohin ich soll? Less. 2, 117. Mir sie vorenthalten? wer will das? Dich so bethören zu lassen! G. 10, 81." cett.

ardore?' Nam si olim continue scriptum erat *ατμοιατοι*, *M* litterae facile sedes mutari poterat [56]).

163. *κρατοῦντεσ τὸ πᾶν δίκασ πλέον*
φονολιβῆ θρόνον
165. *πεδὶ ποδὸσ πεδὶ κάρα.*

Quia *θρόνον* metrica ratione non respondet *κέντρῳ*, quod est in stropha proxima, Wakefieldius infelicissime coniecit *θρόμβον* metro aptum, sententiae quam maxime importunum, cum *θρόνον* sit aptissimum. Neque vero credibile Aeschylum violasse metri aequabilitatem, cum vel in singulis litteris studet similitudini [57]). Ea igitur vox est investiganda, quae sit *θρόνον* simillima. Praeterea *δίκας πλέον*, quod explicant 'praeter fas', displicuit iam Gothano, quia idem est atque *τὸ πᾶν*. Itaque non inepte scribi indico:

κρατοῦντες τὸ πᾶν Δίκας πλέον
φονολιβῆ θ' ὅρμον
πεδὶ ποδὸς πεδὶ κάρα

'ex toto sibi vindicantes Iustitiae inquinatam et sanguine a capite ad pedes stillantem sedem'. Neque aut de sententia universa aut de similitudine scripturae quidquam dicam opus est. Quod ad singulas attinet voces, Aeschyli in frg. 76 exstat *πλέω γράσον* 'plena sordium'. Itaque eo minus dubito, quin dicere ille potuerit *πλέον* vel *πλέων φονολιβῆ τε*, quod hoc idem fere est ac *πλέον φόνου*. Inter *πλέος* autem et *φονολιβής* eadem intercedit ratio, de qua dixi supra ad vs. 36. Deinde *ὅρμος* est statio navalis a tempestatibus et fluctibus tuta; sic etiam apud Aeschylum. Sed fieri non potuit, quin ad alia transferretur ea vox, ut *ὅρμος ἐλευθερίας* et diversa genetivi functione *ὅρμος τῶν κακῶν*. Atque Aeschylo inprimis acceptas fuisse eiusmodi translationes cum alia tum haec: *δόμος*, *βωμός*, *πυθμὴν Δίκας*, *θρόνος Αἰσχύνης* comprobant.

166. *πάρεστι γᾶσ ὀμφαλὸν*
προσδρακῆσ αἱμάτων
168. *βλοσυρὸν αἰρόμενον ἄγος ἔχειν.*

αἰρόμενον Abreschius ad similitudinem strophae recte mutavit in *ἀρόμενον*. Miror autem, quod editorum nemo scripturae *προσδρακῆσ*, quam exhibet Merkelii liber, mentionem fecit, ut dubitem, num recte ille legerit. At siquidem recte legit, emendationem *προσδρακεῖν*, quam habent omnes, haud ita magni facio, cum neque sententiae quidquam afferat utile, et structuram impediat altero illato infinitivo. Suspicor igitur scriptum fuisse:

πρὸς κράδης αἱμάτων

et totum locum ita interpretor: 'Est iam, ut terrae umbilicus ab robigine sanguinis terribile piaculum susceptum habeat'. Quae ut recte intellegamus, Delphis in templo Apollinis terrae umbilicum fuisse e marmore factum figura aut hemisphaerii fere aut ovata reminiscamur, qui, cum e solo exstaret, similitudinem quandam stipitis habebat. Itaque, cum sanguinis guttis umbilicus erat adspersus, stipitis speciem referebat robigine affecti, qua si laborant arbores pullis maculis quasi obsitae conspiciuntur. Illud vero poetice esse dictum apparet; videamus igitur, rectene

56) *ἀτμός* variam habet apud Aeschylum quantitatem:
Ag. 1311. *ὅμοιος ἀτμὸς ὥσπερ ἐκ τάφου πρέπει.*
Frg. 195. *πέμφιξ · πικροὶ γὰρ κοὐ διὰ ζοῆς ἀτμοί.*

57) Cf. *μεσολαβεῖ — φονολιβῆ, βλοσυρὸν αἰρόμενον ἄγος ἔχειν — μεσὸν τὸ περίβαρυ κρύος ἔχειν.*

dicatur. Et Theophrastus [58]) quidem *κράδιν* appellat *τοῦ στελέχους πάθος*, quod quid sit non satis constat, *κράδον* morbum ramorum, quem Latinorum robiginem vel uredinem esse, nostrum 'brand' facile intelleginus, et quem in radicibus dicit ille *σφακελισμόν*. In eandem sententiam abit Plinius[59]). At si recte reputabimus Theophrastum centum fere et quinquaginta annis post Aeschyli aetatem vixisse et philosophorum esse accuratius distinguere et notiones et verba, cum alias idem significare *κράδιν* et *κράδον* videamus — utrumque enim proprie est ramalia —, non dubitabimus, quin idem morbus, quem in ramis *κράδον* appellatum esse constat, vulgari sermone etiam in stipite aut *κράδος* aut *κράδι* dici potuerit, praesertim cum *κράδι* Theophrasto etiam *πάθος τοῦ στελέχους* vocatum sit, multoque minus poetam ea dicendi licentia usum esse, si qua est licentia, gravabimur.

169. *ἐφεσίοισι δὲ μάντι σῶμι ἄσμαι*
170. *μυκὸν ἔχρανάτ᾽ αὐτόσσιτος αὐτόκλιτος.*

In his praeter *μυκὸν* vix quidquam esse mutandum censeo et ita scribendum:

ἐφεσίῳ δὲ μάντις, οἵ, μάσμαι
μυχὸν ἐχράνατ᾽ κ. τ. λ.

Sic aptissime *οἵ*, quae est interiectio et doloris et indignationis plena, inter eas voces intercedit et notiones, quibus coniungendis affectus illi gignuntur. Cuius dictionis unum attulisse exemplum satis erit[60]). Similiter iam Wakefieldius coniecerat *μάντις, ὦ*, praeterquam quod *ὦ* multo minus est perspicuum et aptum; neque *ἐχράνατ᾽* ille scripserit an *ἔχρανας*, ut plerique, comperire potui. Quod qui fecerunt et medii generis hic esse rationem negant, quo iure id contendant nescio. Haec enim est eius ratio, ut significet, quod alii scribendo aut *σὸν* aut *ὂν μυχόν* efficere studuerunt, et non sine irrisione aliqua illud est dictum.

177. *ποτιτρόπαιος δ᾽ ὢν, ἕτερον ἐν κάρα*
178. *μάστορ᾽ ἐκείνου πάσεται.*

Porsonus *δ᾽* suo loco posuit post *ὢν*, *J* ad *κάρα* alii adiecerunt. *ἐκείνου* deinde, quod neque intellegi potest et metricae rationi repugnat, quot coniecturis sit tentatum vix quisquam dicere poterit. Elegantissima est, quam nuper Kirchhoffius protulit *εἶσιν οὖ*. Attamen ne in ea quidem acquiescendum esse existimo et scriptum fuisse olim *εινεκ ου;* quod legendum est sic:

εἵνεχ᾽ οὗ

'cum piaculo sit contaminatus, alterum in capite vindicem ipse per se inveniet'. Et illud *εἵνεχ᾽ οὗ* vernaculo sermone reddam '(ganz) von selbst', atque explanem 'eum is sit, qui est'. Aptam esse hanc sententiam, ut exprimat certissimam Furiarum spem et fiduciam, facile credo. De scriptura autem dubito, utrum littera *K* Ionismi sit vestigium an idem referat vitium, quod in *μυκόν* deprehendimus: nisi forte id ipsum est Ionismi. Neque difficile est intellectu, quomodo librarius aliquis, cum plane nesciret quid esset *εινεκ ου*, primam et alteram syllabam convertendo

58) Theophr. hist. plant. I. 8, 5 *ἐνίοις δὲ καὶ οἷον κράδια γίγνονται καθάπερ πιτέλεᾳ καὶ δρυῖ καὶ μάλιστα ἐν πλατάνῳ· ἐὰν δὲ ἐν τραχέσι καὶ ἀνύδροις καὶ πνευματώδεσι καὶ παντελῶς. Πάντως δὲ πρὸς τῇ γῇ καὶ οἷον τῇ κεφαλῇ τοῦ στελέχους ἀπογηράσκόντων τὸ πάθος τοῦτο γίνεται.* — ibid. IV, 14, 4. *καλεῖται δὲ σφακελισμὸς μὲν ὅταν αἱ ῥίζαι μελανθῶσι, κράδος δ᾽ ὅταν οἱ κλάδοι καὶ γὰρ καλοῦσί τινες κράδους. ὅθεν καὶ τοὔνομα τῇ νόσῳ.*

59) Plin. hist. nat. XVII, 24. Verum ut homini nervorum cruciatus, sic et arbori, ac duobus aeque modis; aut enim in pedes h. e. radices irrumpit vis morbi aut in articulos h. e. cacuminum digitos, qui longissime a toto corpore exeunt; inarescunt ergo, et sunt apud Graecos sua nomina utrique vitio.

60) Pers. 1053. *μέλαινα δ᾽ αὖ μεμίξεται, οἵ, στονόεσσα πλαγά.*

lucrari aliquid sibi visus sit, contentus ille quidem vocem vere Graecam effecisse, quamquam ea neque sententiae satisfaciebat neque metro. Neque illud vero, casu quodam syllabarum conversionem factam esse, incredibile, cuius rei in binis vocibus factae complura exempla collegit Dindorfius praef. XI. XII. *εἵνεκα* autem exstat in codice scriptum Suppl. 188[61]) et receptum est a Kirchhoffio. Neque in cantico illud reperisse me piget, cum Aeschylum quasdam pronominis *ὅστερ* formas (*τοὔστερ τοίστερ τῶνστερ τάστερ*) Ionice a *τ* incipientes et in senariis et in canticis usurpasse constet. Postremum *οἵ* genetivum legimus apud Sophoclem Oed. R. 1257[62]); ceterum ad ea, quae supra ad vs. 105 dixi, respici posse confido. Simile quid repperisse mihi videor in versu:

188. *παίδων κακοῦται χλοῦνις ἡδ' ἀκρωνία*

de quo in libello scholastico copiosius agere cum alienum esse videatur, satis habeo proponere lectionem:

[*παίδων· κακοῦ ται χλοῦνις ἡδ' ἀκρωνία·*]

'quae sunt mali exuberantia atque congeries' et adnotare ex Plut. Pericl. 39: *τοσαύτη φθορὰ καὶ πλῆθος ἐπέκειτο κακίας τοῖς πράγμασιν.* Verum haec omnia, quod in accuratissima rerum capitalium enumeratione prorsus sunt inania et putida, pro inepto interpolatoris commento habeo, qui, quae ex usitatis formulis prompta habebat, simulatae antiquitatis specie exornata inseruit.

200. *ἀλλ' εἰσ τὸ πᾶν ἔπραξασ ὡσ παναίτιοσ.*

Ex his Canterus emendavit *εἷς*, Wakefieldius *ὤν*, quae receperunt plerique. Et de *εἷς* nemo dubitabit; ex *ὡσ* autem minore vel nulla litterarum mutatione effici posse *ὃς* contendo, quod eandem praebet sententiam, quam Wakefieldii *ὤν*[63]). Scribendum igitur censeo:

ἀλλ' εἷς τὸ πᾶν ἔπραξας, ὃς παναίτιος.

203. *ἔχρησα ποινὰσ τοῦ πατρὸσ πέμψαι τι μήν.*

Abreschius correxit *τί μήν;* Deinde Kirchhoffius adnotavit 'leg. *πρᾶξαι*'. Negat igitur, si recte intellego, dici posse *ποινὰς πέμψαι.* Et sane *ποινή* utique ad eum vel eius condicionem respicere videtur, qui punitur. Qua re cum *ἄποινα* carere videam, quae vox soluta omni eius, qui punitur, notione ipsam meram et nudam poenam significat, leniore medela levari posse illam offensionem spero scribendo:

ἔχρησ' ἄποινα τοῦ πατρὸς πέμψαι.

Sic recte Apollo ad chori illud *ἔχρησας — μητροκτονεῖν* respondet. Est autem *ἄποινα* vox non insuscitata Aeschylo, et *σ* litteram adiectam esse puto, postquam *εχρησα | ποινα* falso sunt dirempta.

213. *ἦ κάρτ' ἄτιμα καὶ παρ' οὐδὲν ἡρκέσω*
Ἥρασ τελείασ καὶ Διὸσ πιστώματα.

Pro *ἡρκέσω*, quod intellegi nequit, Wellauerus proposuit tria: *ἥρκεσεν, ἠρέσω, ἠδέσω*, quorum Hermannus ferri posse negat *ἠρέσω*. Equidem neque hoc neque *ἥρκεσεν* intellego. Melius paulo est *ἠδέσω*, sed admodum insolenter dictum, et nimis longe a scriptura codicis recedit. Neque multo minus Hermanni *ἧκέ σοι*. Suspicor igitur fuisse scriptum:

παρ' οὐδὲν ἥρικες

61) *ἄμεινόν ἐστι πανὸς εἵνεκ', ὦ κόραι.*

62) *μητρῴαν δ' ὅπου || κίχοι δυπλῆν ἄρουραν οὗ τε καὶ τέκνων.*

63) De eo pronominis relativi usu, ut respondeat Latinorum 'ut qui' vel 'quippe qui' cf. Dindorf. lex. Aeschyl. p. 253.

Ex quo *I* lineola omissa evasit *ηρκεσ*, cui, cum una syllaba versui deesset, temere adiectum est *O*. Active eum aoristum usurpatum invenimus in Soph. frg. 164: *ἤρικόν νιν ὀδύναι*. Aeschylum eo vocabulo bis usum esse scimus[64]), quod quam aptum sit huius loci sententiae apparet: 'profecto ad magnam contemptionem et ad nihilum fere infregisti Iunonis pronubae et Iovis leges sanctas'. Servata aoristi secundi vi intransitiva scribi etiam potest *ἤρικεν;* sed longius recedit a scriptura, et sermonis vigori utilius Apollo Furias alloquitur.

217. *ἐυνὴ γὰρ ἀνδρὶ κὰι γυναικὶ μόρσιμοι*
ὅρκοὐστι μείζων τῆι δίκη φρουρουμένη
ἢ τοῖσιν οὖν κτείνουσιν ἀλλήλουσ χαλᾶισ
τὸ μη γενέσθαι μὴδ' ἐποπτεύειν κότωι
221. *ὄυ φημ' ὀρέστην γ' ἐνδίκωσ ἀνδρηλατεῖν*[65]).

Pro *μόρσιμοι* plerique *μόρσιμος*, pauci *μορσίμη*. Codicis scripturae similius, si fides habenda est Gothani illi monito, quo supra usi sumus[66]), *μορσίμοιν*, nec non, credo, sententiae salutare, quam ab vaga latitudine et austera necessitate ad arctiora et suaviora revocari haud inutile duxerim. Recordati igitur singularem illum numeri dualis usum, ut duorum copulationem significet[67]), haec inveniemus 'coniugium enim viro et mulieri, qui quidem sint iusta lege copulati, iureiurando est maius'. *μόρσιμος* autem hic utique, sive ita scribere quis mavult sive *μορσίμοιν*, non tam Latinorum 'fatalis' referre quam Homeri illud *αἴσιμος*, cui est simillimum, persuasum habeo.

Deinde ad codicis *ἤ* utrum *εἰ*, quod ediderunt plerique inde a Cantero, propius accedat an *ἤν* dubito; sententiae utilius *ἤν*, quia aptum est Apollinem prodere de Furiis ita se cogitare: qua de causa praeferendum esse *ἤν* videtur.

Tum *γενέσθαι* varie mutatum, ut in *μέλεσθαι*, *ἕπεσθαι*, *τίνεσθαι*. Kirchhoffius commendavit neque recepit *τὸ μὴ 'ντρέπεσθαι*. Ex quibus *μέλεσθαι* et *ἐντρέπεσθαι* magis placent aliis, quod illum notionum ordinem referunt, de quo supra diximus[68]). Sed idem effici posse contendam scribendo *τὸ μή γ' ἐνέσθαι*. *ἐνιέναι* enim cum sit 'immittere, inicere', unde usitatissima illa Homero *μένος*, *θάρσος*, *κότον ἐνῆκεν*[69]), *ἐνίεσθαι* esse oportet 'in se admittere', sicut notum illud *προσίεσθαι*, sed fortius aliquanto. Item igitur illud dictum intellego atque *ἐνθυμεῖσθαι*, quo utitur infra Aeschylus de Furiis[70]), aliaque similia. Neque de particula *γέ* quin recte sit apposita ad *μή* dubito, quamquam alibi non inveni: non inepte enim hic negatio exprimitur. Quod si quis neget, non multi laboris est scribere *τὸ μήτ' ἐνέσθαι μήτ' ἐποπτεύειν*, cum *Γ* et *T* simillima sint inter se atque codicis *μὴδ'* e correctura profectum esse possit, postquam *μήτ' ἐνέσθαι* falso mutatum est in *μη γενέσθαι*.

---

64) Pers. 1060. *πέπλον δ' ἔρεικε κολπίαν ἀκμῇ χερῶν.*
Ag. 655. *ναῦς γὰρ πρὸς ἀλλήλαισι Θρῄκιαι πνοαὶ || ἤρεικον.*

65) Hunc locum quam potui accuratissime ex Merkelii libro descripsi.

66) V. s. ad vs. 54.

67) Cf. Rost. Gr. Gr. [7] § 96. 3. c. p. 402. 03. Secus docuit Krueger. Gr. Sprchl. [3] § 44. 2, A. 1. p. 216. 17. Verum in medio.

68) V. s. ad vss. 36. 163.

69) Cf. Id etiam in tragicorum sermonem abiise colligas ex Eur. Bacch. 850. 51
πρῶτα δ' ἔκστησον φρενῶν, || ἐνεὶς ἐλαφρὰν λύσσαν.

70) Eum. 222 *τὰ μὲν γὰρ οἶδα κάρτα σ' ἐνθυμουμένην.*

Proximo versu Gothanus et Weilius recte servarunt *γ'* post *ὀρέστην* et *σ'* adiecerunt post *ἐνδίκως*. Apte enim sententia restringitur ad unum Orestem, neque litterae *Γ* et *C* adeo inter se similes. Facile autem alterum *σ* post *ἐνδίκως* excidere potuit, sicut excidit in *'στράσουσαν'* codicis (223). Neque novum et inusitatum ea pronominis sedes et forma, cum alio loco inveniamus *παῖσ σ'*[71]). Itaque totum hunc locum ita esse scribendum censeo:

εὐνὴ γὰρ ἀνδρὶ καὶ γυναικὶ μορσίμοιν
ὅρκου 'στὶ μεῖζων τῇ δίκῃ φρονουμένη.
ἣν τοῖσιν οἷν κτείνουσιν ἀλλήλουσ χαλᾷς
τὸ μή γ' ἐνέσθαι μηδ' ἐπορτεύειν κότῳ,
οἵ' φημὶ 'Ορέστην γ' ἐνδίκως σ' ἀνδρηλατεῖν.
230. *ἐγὼ δ' ἄγειν γὰρ αἷμα μητρῴων δίκασ*
231. *μέτειμι τόνδε φῶτα κἀκκυνηγέτησ.*

Plerique scripserunt: *ἐγὼ δ' — ἄγει γὰρ αἷμα μητρῷον — δίκας μέτειμι τόνδε φῶτα*, Wieselerus: *— ἄγειν γὰρ ... δίκῃ —*, quocum in eo consentio, quod *N* litteram servandam esse censeo, quae unde sit illata nemo videt. Cetera aliter dispono scribens: *ἐγὼ δ' ἄγ' — ἔνι*[72]) *γὰρ .... δίκαις — μέτειμι*, neque graviter quemquam *I* insertum laturum esse spero, qui quanta temeritate haec lineola in codice aut adiciatur falso aut omittatur compertum habeat[73]). Videamus igitur, quae hac scribendi ratione efficiantur. Et primum quidem *ἄγε* adiecto sermoni plus virium et vigoris accedere apparet, et languet sane quodammodo nudum illud codicis *ἐγὼ δὲ μέτειμι*. Neque raro ab Aeschylo *ἄγε* ad cohortationes primae personae, ut loquuntur, adicitur[74]); *μέτειμι* autem, quod vere est futurum, coniunctivi usitati vice bene fungitur. Deinde formula: *ἔνι αἷμα μητρῷον δίκαις* 'inest in causa sanguis maternus' i. e. matricidii causa agitur vel matricidii est causa, quin eam sententiam, quae est necessaria, recte et perspicue expressam proponat, non dubito, et respicere ad eam videtur scholiastae adnotatio: *ἡ δίκη* (adice *ἐστὶ*) *τοῦ μητρῴου αἵματος*. Furiae autem respiciunt ad Apollinis versum (224): *δίκας δὲ Παλλὰς τῶνδ' ἐπορτεύσει θεά*. Denique structura illa, qua delectantur plerique admodum dura et insolita, *δίκας μέτειμι τόνδε φῶτα*, optime tollitur.

Restat igitur ut de vexatissimo vocabulo, paene dixi monstro, *κἀκκυνηγέτης* quid sit censendum statuamus. Et quod plerique cum Erfurdtio ediderunt *κἀκκυνηγετῶ*, deverticulum est et ne laudabile illud quidem, nam recte scribi debebat *κἀκκυνηγετήσω*. Multo melius hic quoque Wieselerus, qui *κἀκ* syllabam importuna doctrina factam esse ex *κατα-* videtur intellexisse. Sed quod *κατὰ κυνηγέτην* scribendum esse putabat, media via constitit. Nobis longius procedendum est, quando quidem *κατα-* quin Ionice pro *καθά* scriptum sit non dubitamus. Et laudamus iterum[75]) librum Farnesianum bene intellegentem, male scribentem *γ' ὡς κυνηγέτης*. Alia igitur mutatione cum minime sit opus, haec postremo proponimus:

ἐγὼ δ' ἄγ' — ἔνι γὰρ αἷμα μητρῷον δίκαις —
μέτειμι τόνδε φῶτα καθὰ κυνηγέτης.

---

71) Prom. 773. *πῶς εἶπας: ἢ 'μὸς παῖς σ' ἀπαλλάξει κακῶν:*

72) *ἔνι* pro *ἐνεστι* ter dictum ab Aeschylo habemus. cf. Dindorf. lex. Aesch. p. 119.

73) *I* littera quamquam saepius inserta falso esse videtur quam omissa, tamen huius quoque rei haud pauca inveniuntur exempla praesertim in dativis numeri singularis.

74) Cf. v. 305. *ἄγε δὴ καὶ χορὸν ἄψωμεν.* Alia collegit Dindorf. l. l. p. 6.

75) V. s. ad vs. 76.